

DE TVENDA

Brozum ceu ros quidam continetur. Quæ humiditas propriè nutrimentum est, quod dum adponitur, agglutinatur, & assimilatur, nutritio fit. Est enim nutritio perfecta alimenti assimilatio.

De uirtute uitali.

Vitalis est, quæ corpori uniuerso uitalem calorem præbet. Huius sedes est cor, à quo per arterias cum sanguine in omnes partes corporis distribuitur. Huc & adfectus pertinent, de quibus in secunda parte agitur.

De uirtute animali.

Virtus animalis est, quæ corporis partibus uim sentiendi & mouendi præstat. Huius domicilium Galenus, contra Aristotelem, cerebrum esse, rectè affirmat. Sicut autem epar uenis, cor arterijs, ita cerebrum neruis, ceu canalibus quibusdam utitur, per quos sensum & motum omnibus partibus reliquis impartit. Sensus sunt duplices: Exteriores, & interiores. Exteriores quinque: Visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Interiores: Imaginatio, cogitatio, seu ratiocinatio, & Memoria.

Motus animalis est, quo membra seu partes corporis pro arbitrio mouentur. Organa eius sunt musculi.

De Actionibus, & Spiritibus.

Tot sunt actiones & spiritus, quot uirtutes, scilicet, Naturales, uitales, & animales. Virtutes enim actionum causæ sunt, spiritus instrumenta.

Sunt

BONA VALETVDINE. 14

Sunt autem spiritus purissima & tenuissima substantia, in principalibus membris, ut sim organa uirotutum, genita. Vulgo spiritus definitur esse uapor sanguinis purus, subtilis & c.

Hæc de prima parte dixisse sufficiat. Qui integram de constitutione hominis noticiam habere cupit, legat Commentarium D. Philippi de Anima, in quo totus homo egregè describitur.

SECUNDA PARS.

PRÆCEPTA GENERALIA, de sanitate tuenda, siue de usu rerum, ad uitam necessariorum.

ERGO age quisquis eris, siue ista sequenda putabis,

Seu minus, & forsã splendidiora petis.

Hic quoq; ne dubita, pars est tibi iusta salutis,

Parua etiam magnum plurima pondus habent.

Sit tibi præcipue simplex & recta uoluntas,

Velle animi sana conditione frui.

Quo si non ualeas, frustra seruare laboras

Corpora, quæ medica munera membris egent.

Omnia curarum fomenta relinque, nec ullis

Pectus habere pressum sollicitudinibus.

Anxia mens non ipsa sibi non rebus agendis

Constat, ab hac uitium corpora sepe trahunt.


De affectibus animi.


Tristitia.


Hinc



152







Ros. solan.
et p. m.
officium
in lundine
L. m. m.
Amiso n.
L. m. m.
L. m. m.

Et secundum
ut mea.

Innotescencia

DE CON-

SERVANDA BONA VALETVDINE
 Opusculum Scholæ Salernitanæ, ad Re-
 gem Angliæ, uersibus conscriptum: Cum
 Arnoldi Nouicomensis, Medici & Philosophi cele-
 berrimi, breuissimis ac utilissimis Enarrationibus. Et
 hæc omnia à barbarie, & infinitis, quibus scatebant,
 mendis, tam accuratè repurgata, ut iam quasi
 nouam faciem induerint, citraq; offen-
 sionem legi possint.

Opera & studio Ioannis Curionis, &
 Iacobi Crellij.

ACCESSERE

De electione meliorum Simplicium, ac Spe-
 cierum Medicinalium, Rhythmi M. O.
 thonis Cremonensis.

Ioannis Laure. h. Zadorenski 7200
 I T E M,

S. Augustini Concio, de uitanda ebrietate,
 Carmine reddita.

1649
Deysauie 16

Cum Priuilegio Imper.

FRANC. Apud Chr. Egen.

Floriani c. 11000
1112

AVTORVM, QVI IN HOC
Opusculo citantur, Catalogus.

A.	Ioannes Mesuſs.
Alexander Trallianus.	Ioannes Manardus.
Aristoteles.	Iſaac.
Auenzoar.	L.
Auerrhois.	Liuius.
Auicenna.	M.
B.	Macer.
Bertrutius.	Moyſes.
C.	N.
Cōſtantineſis Aphricanus.	Nicander.
Conciliator.	P.
Cornelius Celfus.	Paulus Aegineta.
D.	Philotheus.
Democritus.	Platearius.
Dioſcorides.	Plinius.
Diogenes.	R.
E.	Rhazes.
Galenus.	Rhuffus.
Gellius.	S.
H.	Salomon.
Haly.	Serapion.
Hippocrates.	Simon Iahuenſis.
I.	Suetonius.
Ianus Cornarius.	V.
Ioannes Damascenus.	Valerius Max.

REVERENDO ET

AMPLISSIMO IN CHRISTO PA-

tri ac Domino, D. Ioanni P^{re}co, Cœnobij diui Petri

apud Erphordienſeis, Abbati digniſſimo, Do-

mino & Meccenati ſuo plurimum ob-

ſeruando, Ioannes Curio, Ber-

ckeñ. & Iacobus Crel-

lius, ſyiac^{us} vesp.



ER VENIT AD MANVS

noſtras, Ampliſſime pater, opuſcu-

lum quoddam de tuenda bona ua-

letudine, à Doctõribus quondam

Scholæ Salernitanæ, memoriae pro-

ſpiciendæ gratia, ut adparet, uerſibus conſcriptum.

Multò enim facilius uerſus, Fabio teſte, quàm pro-

ſam orationem ediscimus. Adiuncta erat luculenta

ſimul & ſuccincta Arnoldi Nouicomenſis, Medici

& Philoſophi celeberrimi, in ſingula capita è *Ἐξ ἡγε-*

σις. Nos itaq; ſititores alioqui rerum nouarum,

magna cum uoluptate, curſim primò, atq; ſerè ſine

interſpiratione perlegimus. Dehinc cunctatius &

accuratius ſingula relegentes, librum inuenimus, mo-

le quidem paruum, ſed qui plurima in medica arte

non ſpectatu modò, ſed & cognitu quàm digniſi-

ma complectatur, & in quo nihil ſerè ex omnibus ijs

quæ ad corporis cuiuſq; incolumitatem ſeruandam

P R A E F A T I O.

faciant, desideres. Hunc ergo ubi intimis quibusdam amicis communicassemus, dignum iudicarunt, qui ceu nouo adsumpto habitu, in publicum prodiret, quiq; in omnium incolumitatis suae studiosorum manibus non haberetur tantum, sed etiam ab iisdem diligentius perlegeretur, neq; (ut haectenus) à tineis amplius & blattis corroendus delitesceret. Summisq; precibus à nobis contenderunt, ne sibi nostram hac in re operam polliceri, neq; hanc editionis molestiam nobis imponi grauaeremur. Ita enim fore, & ut cuncti φιλυγιστοὶ maximis beneficij uinculis nobis obstringerentur: & ut ipsi in arte, cui nos iam totos manciparimus, multò cum promptiores, tum expeditiores redderemur. Omnes siquidem artes, & ut Xenophon ait, πάντα τὰ καλὰ ἔτα ἀγασθὰ ἀσκητὰ εἶναι: neq; sine aliqua exercitatione percipi posse. Nos uerò qui ingenij nostri imbecillitatem probè agnoscentes, nos cum omnium aliarum ingenuarum artium, tum imprimis ipsius medicinae ignaros ac rudeis planè non ignoraremus, sedulo primò, & quoad fieri potuit, prouinciam hanc nimis grauem recusare, deinde uerò & deprecari coepimus. Caterum, quae ex causa faciliorem deprecationis nostrae ueniam consequi posse arbitrabamur, hac magis atq; magis illi nos instigare, & hortari, & orare, ne hunc laborem subterfugeremus, pergebant. Eratq; inter eos uel praecipuus, uir & humanitate, & morum integritate spectatissimus I. V. Dost

P R A E F A T I O.

Et Georgius Iuda. Cum itaq; nullus undequaq; ur-
 gendi adpareret finis, isq; potissimum incitaret, cui
 quicquam denegare religio sit, locum petitioni feci-
 mus: Τί γ' ἔσ' ἢ πᾶσι τις, ὅποτε ἑλλῶ τις
 ἔσ' ἢ ἀλλοῖοι; Suscepto igitur hoc onere, nihil æ-
 que nobis elaborandum duximus, quàm ut omne no-
 strum studium & conatum huc destinaremus, quò li-
 ber hic utilissimus non emendatissimus modò, uerùm
 etiam ab horridula illa, & ingrata dictionis rudita-
 te, qua antehac miserè & foedè conspurcatus circum-
 ferebatur, ac proinde à studiosis quibusdam contem-
 ptus negligebatur, quàm alienissimus in uulgum exi-
 ret. Quare multa in commentario superflua rese-
 cuimus, multa obmissa adiecimus, Autores, unde con-
 flatus uidebatur, diligenti studio & inuestigatione
 uoluentes, locos omnes, perinde atq; hodie traducti
 habentur, quàm castigatissimos substituiimus. Reli-
 qua quæ ἐξήγησις suo Marte expresserat, infini-
 tis propemodum mendis exemimus. Quin & ipsos
 deniq; uersiculos sub incudem reuocatos emendau-
 imus, seduloq; id egimus, ut numerus sibi, quoad pos-
 set, integer constaret: Paucis tamen exceptis, à qui-
 bus, ne in totum periret rhythmus, quo maiores nostri
 impensius delectabantur, manus cohibuimus. Quo fa-
 ctum est, ut occurrant alicubi ἐκτάσεις ἢ ἐπευδά-
 σεις quædam inusitatiorès, & quas haud temerè
 apud quenquam probatæ autoritatis scriptorem re-
 perias. Hanc uerò nostram quantulamcunq; ope-

P R A E F A T I O.

ram R. P. tui amplissimi nec minis patrocínio & nuncupatione munitam, in publicum exire uoluimus: & ut ipse pro ingenibus beneficijs, quibus nos hactenus deuinxisti, uicissim gratitudinis nostrae aliquod haberes *μνημόσυνον*, & ut, si quam sanitatis suae studiosi inde utilitatem hauserint, eam totam tuae Ampitudini & excellentiae acceptam ferant. Munusculum ergo hoc, in quo tanquam in speculo, qui, quando, & quatenus labori, cibo, potui, somno, & ceteris rebus non naturalibus indulgendum sit, clarissime intueri licet, quodq; grato animo offerimus, sereno fronte, placidoq; uultu T. A. suscipiat, fructuum nostrorum ueluti primitias, candidè complectatur. Sic namq; fiet, & ut alij complures ad similes in literis ausus excitentur, & ut ipsi nostris laboribus abundè satisfactum putemus. Optimè in Domine uale, pater amplissime, ac nos, nostraq; studia in tuam clientelam suscipere dignare.

Erphordiae, XVI. Calend.

Septemb. Anno

M. D. XLV.

INDEX

INDEX SVMMARIVS

eorum, quæ hoc libello tra-
ctantur.

A.

Aceti proprietates	74 a
Aëris electio	34 b
Aescula, Mespila	72 b
Albica, piscis marinus	55 b
Allium contra uenena	31 a
Amarellus, auis aquatica	54 a
Anguillarum, lampretarum coctio	58 b
Animalium membra	75 b
Anisi utilitates	77 a
Anni quatuor temporibus quæ conueni- ant	141 a
Anni tempora quatuor	40 b
Anni temporum ratio in cibus	41 a
Anum comprimere nocet	2 b
Appetitus debilitatio	6 b
Appetitus retinendus	11 b
Aqua crapulae confert	51 a
Aquæ potus noxius	30 a
Athanasia purgat phlegma	90 a
Auditus grauitati mederi	102 b
Aues esui aptæ	52 a
Aurium tinnitum tollere	103 a

I N D E X.

B.

Butyrum quid cibo conducat 6

C.

Calculosis & podagricis obsunt anguilla 8

Caluitiem emendare 8

Cancrum curat hyssopus 8

Caput purgare 93 a.

Capitis dolor 93 a.

Capitis dolori curando 140

Capo, siue gallus castratus 52

Carnes animalium 17

Caro salsa 16

Carnis porcinae usus 48

Carnes uitulinae 51

Caseus parè sumendus 24

Casci esus 16

Casei proprietates, & usus 63 b. 66 a.

Castoreum nervis prodest 89

Catarrhus 5 b.

Caulium in cibis effectus 85

Cepæ 91

Ceparum usus 31

Cerasorum esus commoda 68

Cerebra stomacho inimica 24

Cerebri confortatio 3

Cerefolij herbae effectus 96

Cereuisiae potus 39 a. 40 a. 72

Cereuisiae confectio 73

Chelida

I N D E X.

Belidonia uisum acuit	98 b
Cholerica Complexio	118 b
Cibus iucundus	25 b
Cibi & potus alternatio	59 a
Cibi bene nutrientes	20 a 23 b
Cibi diuersi	13 b
Cibi melancholici uitandi	14 a
Cibo & potui præmittenda	12 a
Cæna parca.	2 a 8 b
Cilicium	8 a
Cilicium medetur urtica	49 b
Cilicium hominis indicia	122 a
Cilicium in cibis cholericis	53 a
Cilicium in alimentis generalia	44 a
Cilicium in consuetudine uarianda	83 b
Cilicium in consuetudinis necessitas	82 a
Cilicium in consuetudini indulgendum	11 a
Cilicium in cornix siue Quiscula	53 a
Cilicium in cocum epati conducit.	100 a b

D.

Dentes mundare	4 b
Dentium conseruatio	ibidem
Dentium dolori conducentia	106 b
Dietæ habenda ratio	3 a
Dietæ conseruatio	82 a.

E.

Ebrietatis commoda	36 a
Ebrietatem sedantia	93 b

I N D E X

Ebrietatem tardantia	86 a
Edendi & bibendi modus	65 a
Edendum quàm diu	13 b
Enulæ campanæ effectus	96 a
Epilepsiæ mederi	94 a
Excrementorum retentio	2 a

F.

Fames duplex	12 b
Febris causa	5 a 6 a
Ficus proprietates	25 b
Ficuum usus in cibis	70 b
Fistulæ curatio	109 b
Fœniculi semen	76 b
Frigellus avis cibo accommoda	54 a

G.

Gallinæ commendatio in cibo	52 b
-----------------------------	------

H.

Humores corporis quatuor	111 a
Hydrops	8 a
Hyssopi effectus	95 a

I.

Irasci utile	2 a
Iura è carnibus	23 a

L.

Lac	24 a
Lactis esus	15 b
Latitia confert ualetudini	2 b
Lauendula neruos confortat	89 b
Lactis	

I N D E X,

Lactis electio & usus	61 b
Lotionis manuum commoda	46 a
Lucius piscium tyrannus	55 b

M.

Malue proprietates	86 b
Manuum lotio	4 a
Medicine administrande ratio	84 b
Medulla ossium	25 a
Melancholica complexio	120 b
Menses phlebotomie accommodi	125 b
Mentha quid efficiat	88 a
Merula avis que	53 b
Mictio noctis multa	72 a
Mithridatium	33 b
Musti potionis nocumenta	49 a 93 b
Mutatio subita nociva	82 b

N.

Nasturtium herba	90 a 98 a
Nauseam marinam que prohibeant	43 b
Nervorum dolor	6 b
Uices contra uenena	33 b
Nucum usus quis	65 b

O.

Olorum electio	20 a
Olex, gallina sylvestris	54 a
Orthometra	53 b
Os, nerui, & dentes homini quot	110 a
Os a sorbilia.	25 b.

P.

INDEX.

P.

Pandiculari membra		4 a
Panis electio, & ratio	24 a	46 a
Panis crustæ quid conferant		47 b
Panis triticeus		23 b
Pectere crines		4 a
Perca piscis squamosus		55 b
Perdici in cibo usus		54 a
Persica prima mensa edenda		14 b
Persica, Passulæ		69 b
Phasianus, gallus sylvestris		53 b
Phlebotomanti quæ uitanda		133 a
Phlebotomia, & uenæ sectio		123 b
Phlebotomiæ impedimenta		126 b
Phlebotomiâ circa obseruanda		129 a
Phlebotomiæ effectus		130 a
Phlebotomiâ post, Dieta Ioachimi Camerarij	140 b	
Phlegmatica complexio		119 b
Pigrities	5 b	6 a
Piper nigrum		101 a
Pisa & legumina		60 b
Pisces qui, & quibus conducant		58 a
Pisces squamosi meliores		56 b
Piscium qui probi malique	55 a	57 b
Piscium salsa calida		46 a
Pisorum coctio		61 a
Pomorum esus		15 a
Potatio uini nimia		35 b
		Potus

INDEX.

Potus mali correctio	43 a
Potus ratio	59 b
Porri effectus	100 b
Præcepta ualetudinis	4 b
Primula ueris neruis prodest	89 b
Prandium largus coena	10 a
Pruna in cibo quid conducant	69 a
Pulegij uirtutes	97 b
ulices fugare	91 a
Pyra	14 b 32 b
Pyrorum nutrimentum	67 a
R.	
Raporum commoda	75 a
Raphani proprietates	33 a
Remedia ualetudinis conseruandæ	1 a
Repletio nociua	11 b
Rheuma	5 b
rheumatis curatio	108 b
Rutæ contra uenena efficacia	32 b 43 a 90 b
S.	
Salis commendatio in cibis	78 b
Salmones pisces crassi	57 b
Sanguinea complexio	116 a
Saluia potus malitiam emendat	43 a
Saluiæ operationes & effectus	88 a
Saluiatum uinum	89 a
Salix uerrucas tollit	99 b
Sapores octo qui	79 b
Saxaulus	

I N D E X.

Saxatulus piscis marinus		55 b
Serū lactis 63 b.	Sinapis effectus	93 a
Sitis aqua extinguenda		50 b
Sitis nocturna		51 b
Somnus à prandio	2 a	6 a
Somnus meridianus		5 a
Sormus piscicula marina		56 a
Spasmus 7 b.	Splenis passio	6 b
Spodium quas habeat uirtutes		77 b
Sturnus cibo commendatur		52 b

T.

Tencha piscis glaber		55 b
Testiculi gallorum		24 b
Theriaca contra uenena		33 b
Tormina discutit hyssopus		96 a
Tranquillitas sanitati confert		3 a
Tremor manuum		89 a
Tremulus auis, uulgo Matacilla		54 a
Tristari utile quibus		1 b
Tristitia nocet ualetudini		ibidem
Turtur boni alimenti est		52 b
Tusim curat urtica		94 b

V.

Vapores stomachi prohibentia		44 a
Venæ diuersæ uarijs de causis incidende		138 b
Venæ Saluatella sectionis commoda		137 b
Venæ sectio quibus morbis, & ætatibus cōueniat, et quantū sanguinis quoq; tēpore detrahendū		134 a
		Venæ

INDEX.

Venæ sectionis sectio quanta	131 b
Venæ sectionem circa quæ consideranda	132 a
Venæ sectione quæ membra quoq; tempore euacuanda	137 a
Venenum prohibentia	30 b
Ventris flatus	7 b
Vermes progenerantia	4 a
Vertigo 8 b.	22 a
Vina Theologica	23 a
Vini electio	21 b
Vino parcè utendum	24
Vinum dulce & album	28 b
Vinum est lac senum	29 a
Virum melius	37 b
Vinum pueris nociuum	38 b
Vinum rubrum	30 a
Vini boni proprietates	27 a
Vini commoda	37 a
Violæ effectus	93 b
Vipa est panis cum uino	81 b
Visui nocentia	104 a
Visum acuentia	91 a
Visum confortantia	106 a
Vocis raucedinis causæ	108 a
Vomitum ante cibum ciendus	40 a
Vomitum sedat hyssopus	96 a
Vrticæ effectus	94 a
Væ quid conducant.	26 a.

Ἰάκωβος ὁ κρέλλιος τοῖς
Ὀλιγατροῖς.

Ἡρσοὶ τῶν νοσερῶν ἀκλυμ' ἀρέσκη,
Γάντωρ τῶν γένηκῶν, καλῶν δ' ἄσυλον:
Λάφορ σμικρὰ Ὀλιῶν ὁ τῶν ἱπτρῶν,
Σοὶ τὰ σμικρὰ, λέγω, πέλει γ' ἄκευμα.

Christophorus Aulæus, can-
dido Lectori.

Quòd uicio præsens liber hic purgatus ab omni,
Vndiq; per doctas audeat ire manus:
Quodq; Theoninos possit modò spernere dentes,
Porrecta & patrium linquere fronte solum:
Curio, fatidici decus insuperabile Phœbi,
Præstitit, & medica Crellius arte potens.
Ergo age, iam culto quicumq; iuuare libello,
De bene tam meritis dic bene quæso uiris.

Antonius Musa, de hoc
libello.

Vulgatus Salernitarum de tuenda ualetudine li-
bellus, his qui legunt, non parum utilitatis præstat:
illisq; multò maiorem, qui libelli præcepta obser-
uant.

DE

DE CONSERVANDA

Valetudine, liber Scholæ Sa-
lernitanæ.



DE REMEDIIS GENERALI-
bus, pro conseruanda valetudine.

CAPVT II.



Anglorum Regi scribit scho-
la tota Salerni:

Si uis incolumem, siuis te
reddere sanum:

Curas tolle graueis, irasci
crede prophanum.

Parce mero, cœnato parum, non sit tibi
uanum

A

DE CONSERVANDA

Surgere post epulas, somnum fuge in meridianaum,

Non mictum retine, nec comprime scrotiter anum.

Hæc bene si serues, tunc longo tempore uiues.

Ευφρασις

Aditus est hic liber à Doctoribus scholæ Sclernitanæ, in gratiam regis Angliæ, qui multa, & diuersa præcepta, pro conseruatione humanæ sanitatis continet. In hoc autem capite referuntur primis octo generalia præcepta, quæ sigillatim deinde per ordinem determinantur.

Primum ergo est, ut homo suæ sanitatis studiosus, anxiferas & graucis curas relaxans, quàm longè à se propellat. Nam curæ arefaciunt corpora, unde contristantur spiritus uitales: Spiritus uerò tristes exiccant ossa. Prouerbiorum 17. Sub eodem præcepto comprehendendi possunt & tristitia, quæ similiter corpora exiccant & refrigerant, maciem & tenuationem inducunt, constringunt, spiritum obtenebrant, ingenium hebetant, rationem impediunt, iudicium obscurant, & memoriam obtundunt. Verum tamen aliqui sunt pingues & corpulenti, spiritus uero mobileis & calidos habentes, ut eis interdum utile sit tristari, quo spiritus calor hebetetur, & corpus aliquo modo maceretur.

Tristari utile

176.

Secundum est, Non irasci, Primo, Quia ira fit

li

VALETUDINE.

2.
2.

liter corpora exiccat, nam ipsa maximè singula membra calfacit. Nimia autem calfactio siccitatem parit, teste Auicenna, prima primi, doctrina tertia, capit. 1. Secundo, quia ira ob seruorem cordis omneis actus rationis confundit. Aduertendum tamen est, quosdam esse prauæ & frigidaë temperaturæ, quibus irasci interdum ad conseruandum sanitatem proffit, ut scilicet calor in eis resuscitetur.

Irasci
utile.

Tertium est, ut parçè uino utatur. Nimia enim uini repletio somnolentiam, pigritiam, debilitatem stomachi, & reliquorum membrorum, multaq; alia his similia mala, corporibus infert. De quibus dicitur cap. 15.

Vinum.

Quartum est, ut parum coenet. Nam nimia repletio nocturna, dolorem uentris, inquietudinem, insomnia, & angustiam parit, ut manifesta docet experientia: id quod & infra fusius declarabitur.

Coena.

Quintum est, ut statim à sumpto cibo surgat: hoc enim ad concoctionem facit, quia cibus sumptus, ita facilius ad fundum stomachi, in quo uirtus uiget digestiua, descendit.

Sextum est, ut statim à prandio non dormiat, cuius rationes reddentur cap. 3.

Septimum est, ne diutius urinam, quàm natura fert, remoretur: hinc enim interdum sequi solet difficultas mingendi, aut omnino prohibitio mictus, ut testatur Auicenna decima nona tertij, Tractatu secundo, capite de difficultate urinae. Generatur

Excrementorum retentio.

DE CONSERVANDA

etiam inde calculus, neque quicquam æquè uesicæ lædit, atq; longior, ultra mingendi uoluntatem, longior retentio. Similiter quoq; ex nimia fecum siue excrementorum remotione complura proueniunt nocumenta. Indurantur enim feces in intestinis, ob continuam suctionem uenarum mesaraicarum, quæ cum intestinis continuatæ, omnem humiditatem à fecibus exugunt, ita ut siccæ remaneant, ac difficultatis exitus intestina oppilent, quam deinde oppilationem, ob flatuum educationis prohibitionem, & aliarum consequentium fecum conseruationem, sequuntur nocumenta, cap. 40. enumerata.

Octauum est, ne fortiter comprimatur anum, hoc est, ne ad egerendum siue excernendum urgeat: inde enim sequitur $\tau\epsilon\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$, siue exitus longior. Postremo subiungitur, longissimo tempore sanitatem tueri posse, quicumq; hæc omnia debitè conseruauerit.

Si tibi deficient medici, medici tibi fiant.
Hæc tria: Mens hilaris, requies, moderata diæta.

Hoc loco trium remediorum generalium pro conseruanda sanitate naturæ humane, fit mentio, & maximè ipsorum nobilium. Primum est, ut animus hominibus sit letus & hilaris. **Letitia.** Letitia enim mentem floridam facit, homini iuuentutem conseruat, uirtutem confortat, uitam prerogat, ingenium ac

homo

hominemq; ad singula munia subeunda habiliorem reddit. Sit autem hæc lætitia siue gaudium ad tuendam ualitudinem conueniens, temperatum, non excedens modum: nimium enim gaudium syncopen & mortem infert. Huius insignia exempla referunt Liuius lib. 2. decadis 3. Valer. Max. lib. 9. cap. 12. Gelli. lib. 3. cap. 15. Pli. lib. 7. cap. 53. Maxime uerò gaudium confert his qui multis curis & sollicitudinibus distenduntur: potestq; profligatis tristitijs & conuersatione amicorum ac familiarium, & per usum delectabilis cibi & potus, in ipsis amissum recuperari. His enim uirtus confortatur, teste Auic. 11. 3. cap. de casu uirtutis. Scias, inquit, quòd uirtus augmentetur cibo & uino subtilibus, conuenientibus, & odoribus bonis, tranquillitate, & gaudio, & dimissione eorum, quæ contristant, & rixari faciunt, & rememoratione rerum amabilium, & habitatione cum dilectis. Secundum est, tranquillitas animi. Nobiles enim ob magnas & diuersas curas quas sustinent, magis læduntur (si cætera pariter adsint) quàm uulgares plebei. Inquietudo uerò mentis, somnum maxime impedit, qui nobilibus, cum sint natura sicciores cholericis, conueniebat. Tertium est moderata dieta, id est modus seu ratio uiuendi (uulgus Regulam uictus uocat,) de qua infra cap. 55.

DE CONFORTATIONE

Cerebri, oculorum, &c.

DE CONSERVANDA

CAPVT II.

L Vmina mane manus surgens gelida
lauet unda,
Hac illac modicum pergat, modicum
sua membra
Extēdat, crine eis pectat, dentes fricet, ista
Confortant cerebrum, confortant cæ-
ra membra. (C)

Lote tale, sta pranse, ueli, frigesce mini

Heic traduntur sex præcepta de confortatione
rebrī, & singulorum corporis membrorum.

Oculos
acuentia. Primum est, ut manè oculi aqua frigida lauentur
mundandi enim sunt ut inde remoueantur sordi
palpebris inhaerentes, ne ab ipsis oculi corroda-
tur. Auicenna 3. 3. Tractatu 1. cap. 5. Ex eis aute
est submergi in aqua clara, & aperire oculum
ipsa. Et 3. 3. Tract. 4. cap. 3. Ingredi aquam c
ram, uiridem, & submergi in ea, & aperire am
oculos in ea, secundum quantitatem, qua possib
est, & ex eis quæ conseruant sanitatem oculi, &
confortant ipsum, & proprie in iuuentute. Ratio a
tem, cur magis lauari debeant frigida quàm cali
est, quòd unumquodq; conseruetur suo simili, ut tes
tur Auicenna 4. 1. capit. 1. Et Galen. cap. 86. artis
Medicinalis, ubi sic inquit: Calidiora corpora, cali
dioris uictus rationem exposcunt, frigidiora frigidio
ris Oculi autem sunt naturæ frigidae, unde poti
us lauari debent frigida, quàm calida. Secu

Secundum est, ut lauentur manus, sunt enim in- **Manuum**
 strumenta, quibus emundantur organa superfluitas lotio.
 tum cerebri, ut sunt aures, oculi, nares. Ad hoc igitur
 manus mundas esse conuenit. Magis tamen lauanda
 sunt frigida quam calida, quia lotio manuum in
 aqua calida, uermes in uentre generat, & maxime
 post sumptionem cibi, ut innuit Auicen. 16. 3. Tra-
 ctatu 5. cap. 1. Ratio, Quia per lotionem manuum
 in aqua calida post sumptionem cibi, trahitur calor
 naturalis (quo completur digestio in stomacho) ad
 exteriora, quare imperfecta fit digestio, & hæc po-
 tissima causa est uermium.

Tertium est, ut postquam homo à somno surrexerit, **Vermes:**
 paulatim inambulet ac sese moueat, ut superfluitates
 primæ & secundæ digestionis, quæ sunt, feces & uri-
 na, descendant, & præparètur faciliori euacuationi.

Quartum est, ut postquam manè surrexerit, pan- **Pandicu-**
 diculetur, id est, manus & pedes, & omnia membra **lari.**
 extendat, quò spiritus uitales trahantur, & membra ex-
 teriora, & inde spiritus cerebri subtiliores reddantur.

Quintum est, ut crineis peccat, per hoc enim ape **Peccere,**
 riumur pori capitis, ut exeant uapores cerebri reli-
 cti post somnum, ut subtiles fiant spiritus eius, Quare
 usus peccinis plurimum cum uisui tum sensibus omni-
 bus prodest. Vnde Auicen. 3. 3. Tractatu 4. cap. 3. Ad-
 ministratio inquit, peccinis super caput iuuatiua est,
 & propriè confert sensibus, quare oportet ut admini-
 stretur interdium sæpius, quoniam attrahit uapores ad
 superiora, & expellit eos à parte oculi. A 4

DE CONSERVANDA

Dentes
conser-
uare.

Sextum est, ut mundet & fricet dentes, immundities enim dentium est causa fetoris anhelitus. Adhibus item immundis, spiritus immundi ad cerebrum eleuantur, ipsumq; perturbant. Præterea commixtio sordium è dentibus cum cibo ad stomachum perlata est causa corruptionis eius in stomacho. Modum uero conseruandorum dentium, & suauis eorundem odoris, tradit Auicenna. 7. 3. cap. 2. Et ex eis, ait, qui conseruant sanitatem dentium, est, ut colluatur os in mense bis cum uino, in quo decocta est radix tithymali. Est enim perueniens ad ultimum in faciendum odorem, & non aducnit facienti illud, dolor dentium.

Ultimo uersu comprehenduntur aliquot præcepta generalia. Quorum primum est, ut homo lotus balneo, se calidum conseruet, quia à balneo pori sunt aperti, & ita facillimè frigus intraret, magnumq; incommodum corpori inferret. Alterum est, ut homo à sumpto cibo modicum stet, quò cibus perfectè descendat in fundum stomachi, in quo completur digestio, ac deinde lento gradu inambulet, ne ob forte motum calor ad partes exteriores feratur, cibiq; digestio impediatur. Tertium est, post uenæ sectionem frigus conducere, uel ne is cui uena secta est, se subito calfaciat, sed paulatim. Mutationes enim subitaneas naturam lædunt, Omnia enim extra naturam molesti sunt, ut dicit Gal. in comment. si. 2. lib. 2. Aphor. Hippo.

VALETVDINE.

DE SOMNO MERIDIANO,
sue diurno.

CAPVT III.



Sit breuis aut nullus tibi somnus meri-
dianus.

Febris, pigrities, capitis dolor, atq; ca-
tarrhus,

Hæc tibi proueniunt ex somno meridia-
no.

Hic quatuor recensentur incommoda ex somno
meridiano. Primum est febris, quod putant nonnulli ue-
rum esse, si intelligatur de febre ex oppilatione. Caus-
sam huius febris reddetes, quod tēpore diurno, calore Febris
ic spiritus moueantur ad exteriora, itaq; uirtus dige. causa.
stia in diesit debilior : Perfecta etenim digestio fit,
quando calor & spiritus mouentur ad interiora, ob-
uorum motum, calor naturalis incenditur, unde

DE CONSERVANDA

Tempus nocturnum, est tempus perfectioris digestio-
nis. Indigestio autem, & humorum cruditas est caus-
sa oppilationis, oppilatio uerò febris. Auicena. 1. 4. in
locis compluribus.

Secundum est pigrities, quæ ex eadem causa ori-
ri uidetur. Ex materia enim crassa & indigesta, cras-
si eleuantur spiritus, qui ad membra corporis elati,
ipsi corpori grauidinem inducunt, quemamodum spi-
ritus tenues ac leues, animo simul ac corpori leuita-
tem cum alacritate.

**Capitis
dolor.**

Tertium est dolor capitis, qui & ipse ex eadem
caussa prouenire uidetur: ex cibo namq; indigesto, in
stomacho eleuantur spiritus casti, cerebrum pertur-
bantes, quia ijdem etiã causasunt discolorationis fa-
ciei, quãdo ad cutem feruntur: quia ubi materia crassa
est, necesse est, quicquid inde dissoluitur esse crassum.
Vnde Gal. in commenta. 14. lib. 1. Aphoris. Oportet
inquit, similem esse defluxum subiectæ substantiæ, ut
quando humida atq; aëria substantia existit, tunc
quod ab ea defluit, uaporosum est, & suaue. &c.

Rheuma. Quartum, catarrhus, quem itidem ex simili cau-
sa oriri certum est, nimirum ex rheumate. Rheuma
autem dicitur quilibet fluxus materiæ de membro ad
membrum, in quacunq; parte corporis fuerit: sed se-
cundum diuersitatem partium ad quas fluit, diuersa
sortitur nomina: quãdo enim fertur ad pectus siue mē-
bra spiritualia, uidelicet ad pulmonem, dicitur catar-
rhus: quãdo uerò ad fauces siue colatoriu palati, brā-
rhus: ad nares Corysa, ut habetur in hisce uersiculis:

si fluat ad pectus, dicatur Rheuma catarrhus.

Ad fauces branchus, ad naris, esto corysa.

Attamen prædictorum & alia possunt adsignari
causæ magis efficaces. Causa namq; prima incommo-
di, scilicet febris, quæ aliquando ephemera, aliquan-
do putrida est. Ephemeræ quidem est retentio fugi-
num in somno diurno, quarum resolutionem uigilia
facere consueuerät. His enim accruatis, & spiritibus
admixtis, calor extraneus, febrem ephemeram faciens
in eis accenditur: febris uerò putridæ putrefactio hu-
miditatum augmentatarum ex somno diurno, & ad
cor effumantium.

Somni di-
urni in-
comoda.

Secundum uerò incommodum, scilicet pigritia,
accidit propter humiditates retentas per somnum di-
urnum circa musculos, chordas, & iuncturas, qui-
us illa torpescunt, & tardiora fiunt ad solitos motus.

Tertiū uerò ex simili causa oritur, ex humiditatib.
mirū & uaporib; per somnum meridianū retentis,
i moti uersus caput & cerebrum dolorē ingerunt.

Quartum catarrhus, quo unuersim omne rheu-
significatur, contingit, propterea quòd uapores
sumi, qui undiq; uigiliarum tempore per cutem re-
ui solent, in somno diurno ad caput tendant, ubi in-
ssati recidunt inferius, rheuma generantes.

Auicena uerò 3. Doctr. 2. ca. 9. addit & alia incom-
oda somni diurni: quorum primum est, ipsum gene-
re ægri tudines humiditas, ut guttas, & paralyses,
retentionibus humiditatum, quæ interdum magis
resoluitur.

DE CONSERVANDA

resolui solent. Secundum est, corrumpere colorem faci-
 ciei, propter humiditates aquosas, urine similes, in
 sanguine multiplicatas ex somno diurno, resolui solita-
 tas tempore uigiliarum, quæ ad faciei cutem cum san-
 guine expulsa, ipsam reddunt tumidam & subcitrina-
 nam. Tertium est, ipsum generare splenem, id est,
 splenicam passionem in dispositis. Cuius causa est
 retentio humoris crassi, melancholici, in splene ex
 somno diurno, quemadmodum enim uigilia promo-
 uent motum ac liberum transitum crassi humoris per
 canales strictos calore diei uias aperiente, ita som-
 nus impedit, & maximè diurnus, eò quòd instet
 tunc hora ut plurimum transitus melancholici per ca-
 nales suos, & præcipuè per illum canale, qui à sple-
 ne transit ad orificium stomachi ad prouocandum
 appetitum, per quem splenis superfluitas expurgari
 solet. Non enim par est ut de nocte appetitum cibi
 prouocet, sed potius de die. Quartum est relaxatio
 siue emollitio neruorum, Cuius causa est prohibitio
 resolutionis humiditatum, quam facere solent uigilia
 diurnæ, quæ interius retentæ, ueruos irrigant. Quin-
 tum est debilitatio appetitus, propter prohibitionem
 resolutionis, quæ est prima causa famis. Alia causa,
 est repletio stomachi ex fumis, uaporibus & humi-
 ditatibus emollientibus & saturantibus orificium sto-
 machi. Sextum, est generatio apostematum, quia su-
 perfluitates per somnum diurnum multiplicatæ, sepi-
 us in membro aliquo coacernantur, ipsumq; tumi-
 dum reddunt.

Addit

Addit idem Auicē. duas potiores cauffas esse ob
 quas noceat somnus diurnus. Primam quidem, quòd
 citò interrumpatur, eò quòd calor diei calorem in-
 ternum corporis ad exteriora trahat, & è diuerso,
 somnus ad interiora, unde motus sequatur agitati-
 uus, & ideo consulitur per id tempus dormire uolens
 tibus, ut in umbra, & tenebroso loco dormiant. Se-
 cunda uerò est, quòd reddat naturam stupidam, &
 quasi perterritam, retrahentem uidelicet se ab eo in
 quo erat, nimirum à digestionē cibi.

Aduertendum tamen, quòd licet somnus diurnus
 uniuersim uituperetur, nocturnus uerò commende-
 tur, ex diurno tamen minus offendit, si quis dormiat
 prima luce ad tertiam diei partem. Iuxta id quod im-
 primis testatur Hippoc. in præfagijs lib. 2. ubi sic
 scriptum reliquit: De somno quemadmodum ex na-
 tura & in consuetudine est, inter diu uigilandum, no-
 ctu dormiendū est. Si contra commutetur, pessimum
 est. Minimè uerò offendit, si quis dormiat prima luce
 ad tertiam diei partem. Et Gale. in comment. At ue-
 rò, inquit, temporibus Hippocratis, non aliud fuit ex
 natura, aliud in consuetudine. Nunc uerò diuites è
 contrario agunt, tum in quibusdam alijs, tum etiam
 somno, inter diu dormientes, noctu uigilantes.

In his igitur, ut sit somnus non omnino malus, quin
 q; conditiones, Bertrutio autore, obseruari conue-
 nit. Prima, ut sit consuetus. Secunda, ut non fiat ili-
 co super cibum. Tertia, ut non sit capite depresso.

Quarta,

DE CONSERVANDA

Quarta, ut non sit lōgus. Quinta, ut non fiat ab ipso
subita, & repentina experge factio, sed tarda & leta.

DE FLATVS VENTRIS

retentione. CAP. IIII.



Quatuor ex uento ueniunt in uen-
tre retento:

Spasmus, hydrops, colica, & uertigo
quatuor ista.

Heic quatuor recensentur nocumenta ex flatuum
in corpore humano retentione. Primum est spaf-
mus quia flatus retenti, sæpe rapiuntur ad iunctio-
ras, & neruos, ipsosq; replent, unde sequitur con-
uulsio, quæ Græcis σπασμὸς dicitur. Et ab Auicen-
na 2.3. cap. 5. definitur hoc modo: Spasmus est ægri-
tudo neruosa, qua mouentur lacerti ad principia
sua, & inobedientes sunt in dilatatione. Est autem
duplex. Quidam ex repletione, in quo membrum ab-
brenuiatur incrassaturq; propter rem implentem,

quænt

quemadmodum lora & chordæ extenduntur, ubi autem multa madent humiditate, aut uehementius exiccantur: contingit uerò hic subito. Alter ex inanitione, in quo contrahitur longitudo & latitudo, & diminuitur membrum secundum longum & latum, ueluti in membrana, cum adponitur igni, fit contractio, secundum longum & latum: & hic fit paulatim.

Secundum est hydrops, morbus materialis, causatus ex re frigida plurima, ingrediente & instante membrana, aut loca partium, in quibus fit digestio ciborum & humorum, ut testatur Bertrutius, sectione 3. Tract. 2. ca. 4. Hydrops enim fit cum sanguinis generatio frustratur, ut dicit Gal. comment. 12. lib. 6. Apho. Et hæc triplex est: ὑποσφρακὰ, ἀσκήτης, & τυμπανίτης. De tympanite, intelligendum est secundum hoc nocumentum. Tympanites enim, auctore Bertrutio, fit à mala complexione frigida stomachi & epatis, prohibente cibi transmutationem in chylum, & humorem benignum, siue sanguineum: quare conuertitur in rem uentosam, quæ cum nõ expellatur per eructationem, aut aliunde, oppilatiõe uiarũ prohibente, uel uirtute expulsiua, & sequestratiua superfluitatũ debili existente, colligatur inter Siphac & Mirach uentris, & generatur hydrops.

Tertium est Colica, ægritudo uehementissimi doloris, facta in intestino, quod Græcis κωλον αἰκίται, est quod unũ de intestinis crassis, quemadmodum Iliaca est ægritudo grauissimi doloris in intestino gracili.

Græcè

DE CONSERVANDA

Græci ἰλεοϋ uocant: & fiunt istæ ægri-
tudines sepius ex uentositate in dictis intestinis inclusa.

Quartum, uertigo, ubi obtenebrationes hebetudinisq; oculis obuersamur, & omnia circumagi & rotari uidentur. Cuius causa est, spiritus uaporosus, qui ad cerebrum fertur, & in eius partibus inordinate mouetur. Hæc quatuor nocumenta cum alijs quibusdam pulchrè recenset Auicenna. 16. 3. Tractatu 4. cap. 28. Scias, inquit, quòd retentio uentositatis multoties facit accidere colicam, propterea quòd subleuat eam, & reprimit ipsam, ita ut aggregetur res una, & quod facit accidere debilitatè intestinis. Et quandoq; perducit illud ad hydropisim. Et quandoq; generat tenebrositatem uisus & uertiginem, & epilepsiam. Et quandoq; retinetur in iuncturis, & facit accidere spasmodum. Rectè itaq; Hippo. lib. 2. præ-sagiorum, Flatus (inquit) optimus est, qui neq; strependo, neq; pedendo emittitur, quanquam enim satius est ipsum cum strepitu exire, quàm includi. Hac etiam ratione inductus Claudius Cæsar, dicitur meditatus editum, quo ueniam daret, efflatum crepitumq; uentris in conuiuio emittendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Autor est Suetonius.

DE COENA. CAPVT V.

EX magna cœna stomacho fit maxima pœna.

Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.

Hic



Hic traditur unicum præceptum conseruandæ
 ualetudinis, ut homo in cœna sit temperantior, nec
 sese cibo obruat. Nimia enim repletio sub noctem ino-
 ducit impedimentum somni, tormina uentris, inque-
 tudinem corporis, pustulas in facie, grauitatem capi-
 tis, & maliciam oris. Hic dubitari solet, utrum ma-
 ior quantitas cibi sumenda sit in prandio, an in cœna. Cœna
 parca. parca.
 Pro cuius solutione, aduertendum est, iuxta cor-
 porum diuersitatem, maiorem aut minorem cibi quã-
 titatem sumendam. Corpora etenim, aut sunt in mor-
 bum decidentia, aut sub latitudine sanitatis. Si in

DE CONSERVANDA

morbum deciderint, sunt aut cum humoris uicio, aut sine. Si sine humoris uicio, tum est liberius coenandum, quia natura in eiusmodi tamummodo ciborum digestionem intenta est, non autem superfluitatum maturationi, carent enim eis. Quod si cum humoris uicio patiantur, conuenientius est largius prandere. Vnde Auicenna. 1. 3. Tractatu 5. cap. 11. Ille inquit, cuius consuetudo non tolerat, ut semel reficiatur, diuidat cibum suum, qui est minor refectio, in tres partes, & sumat duas tertias in prandio, & tertiam in coena post leue exercitium. Ratio, quoniam illo tempore, quo natura debilis iuuatur in digestionem per calorem solarem uiuificum, & resoluuntur plures superfluitates, amplior cibus sumendus est, hoc autem magis fit in prandio quam in coena. Ergo &c. Adhuc interdum, ob praesentiam caloris uitae solis & lucis, facilius fit digestio (est enim sol uitae principium) Habet itaque diurna digestio duplex calidum, nocturna uero minime. Et noctu in eiusmodi natura magis circa superfluum digestionem occupata est, quare non est impedienda multorum ciborum exhibitione. Quamuis enim calor in plerisque noctu fortificetur, spirituum retractione, & reductione somni, non tamen potest huiusmodi calor duo, scilicet, alimentum & superfluitates digerere. Conuenit itaque in his coenae nonnihil demere. Si uero huiusmodi corpora sub latitudine fuerint sanitatis, aut sufficienter sana, robusta, superfluitatibus

fluitatibus sensibilibus carentia, cum eas omnes expellant proprio meatu, ut in Athleticis, His expedit copiosiore cœna uti: Vel, quia natura eorum noctu solum est digestioni ciborum intenta, & non superfluum maturationi, cū illis serè careant. Vel, quia soli robori corporis student, quod & nocte acquiritur magis, cum amplior fiat sanguificatio, distributio, & in his spirituum generatio. Quod si corpora à dicto temperamento & robore nonnihil recesserint, sicut plurima, usq; in ægritudinem nunc deuenientia, eiusmodi aut exercitantur exercitio forti, continuo, & uehementi, aut non. Si exercitantur, ut sunt qui uictum manibus quærunt, præstat hisce largius prandere quàm cœnare, quia alimentum expeditur, non modò ut nutriat, sed etiam humectet & irriget membra, ne aresiant ex forti motu, & ut resistatur resolutioni, ex caloris incendio prouenienti. Idcirco oportet in prandio plus cibè exhiberi, neq; enim propter exercitium eiusmodi corpora à digestionem sua cessant, cum ita consueuerint. Usus enim est res præternaturam, & calor item ex uehementiori motu, digestionem accelerat in eis, Quare uidemus eos ter in die cum appetitu comedere, ac bene digerere. Si autem non utantur forti & laborioso exercitio continuè, sicut prædicti, dupliciter hoc euenit, quia aut solum quandoq; utuntur exercitio forti & laborioso, sed non continuè, aut solum utuntur exercitio debili, unde sequitur multiplicatio superfluitatum.

DE CONSERVANDA

Si utamur exercitio plurimo, forti & laborioso, propter occupationes necessarias in uita, & ad salutem, sicut ciuiles ac plebei complures uiri, circa bona fortuna negociantes, ad salutem interdum exercitio forti & laborioso mouentur: ut diu equitantes, uel iter facientes, aut aliud quoddam fortius à consueto agentes exercitio. His utilius est largiori coenae quam prandio indulgere, quia si prandium auferent, cum non sint consueti adeo forti et laborioso exercitio agitari, ut priores, ipsorum corrumpitur digestio, malos scilicet humores generando. Item propter motum superfluum, calor horum dissipatione debilitaturculus quidem unitio, quae magis noctu fit quam interdum, potissima est fortitudinis & digestionis causa. Quare coena instante nocte copiosius alimentum expetit. Item isti prius non utebantur uehementi motu, unde corpora eorum humiditatibus plena sunt, quibus & paruus cibus sufficit ad resistendum resolutioni, quae sunt per motum interdum occurrentem.

Si uerò paucis, leuibus exercitijs, & occupationibus in uita utantur, praecipendum est eis, ut copiosius prandiant quam coenent. Et declaratur hoc, sicut in corporibus nunc aegrotantibus apparuit. Cum enim hi debilem habeant digestionem, ut plurimum iuuantur uiuifico calore & luce solis, confortatur enim inde spiritus propter suum simile. Ipse enim est lux, aut effigiem habet secundum Auicennam. Iuuantur etiam, quia superfluitates melius expelluntur poris
aperis

apertis interdium quàm noctu. Noctu præterea, non oportet eos multo cibo repleri, cum natura tunc magis occupetur circa crudorum humorum digestionem, quos somnus maximè digerit accommodosq; facit. Licet enim uirtus digestiua noctu fortificetur, non tamen tanta est ut ualeat simul & cibum & superfluitates digerere.

Insuper quoq; aduertendum est, in exhibitione cibi Consuetudini copiosioris, aut minoris, in prandio quàm cœnatio. maximè seruandum esse usum, quia consuetudo plurimum potest in tuenda sanitate, & ægritudine curanda. Hipp. lib. 2. de uictus ratione in morbis acutis, Quod ostenditur ex eo, quòd omnis subita mutatio, si modum excefferit, noxam inducat. Vnde Damascenus Aphorif. 57. Mutare consuetudinem, præsertim æterem, & noxium & pestilentissimū habetur. Quare corrigere oportet, ac sensim ad meliora transferre. Neq; enim natura patitur eas quæ subito fiunt alterationes. Gal. cap. 86. artis Medicin. Et sic patet in uniuersum, largius prandendum quàm cœnandum, cum plurimæ ægritudines sint materiales, & corpora plurima lapsa. Si tamen semel tantum in die comedatur, melius est cœnare, nisi oculi aut cerebrum adfecta sint, ita enim melius est prandere, aliàs non parum ægotantis oculi & cerebrū læderentur. Cœna enim exigua capiti confert & oculis, teste Manardo.

Notandum præterea quòd non solum repletio no-

DE AONSERVANDA

Repletio *sturna* siue cœna noceat stomacho, uerum etiam *omnis* no-
cina. minus repletio cibi, generat enim oppilationes, febres,
 putredines, apostemata, & lepram, quia causa est indi-
 gestionis. Vnde Auicenna. 13. 3. Tractatu 1. cap. 36. Ex
 rebus inquit, magis inimicis stomacho est repletio,
 & propter illud non augetur corpus gulosi, quoniam
 cibus eius non digeritur, quare non crescit ex eo cor-
 pus. ille autem qui cibo abstinet, dum tamen remanet
 aliquid in ipso, appetitus eius augetur, quoniam stoma-
 chus eius bene digerit cibum.

Et sic plurimum cauendum est ne stomachus tor-
 queatur, & multum grauetur cibo, ita ut anhelitus
 angustior, & pulsus uelocior fiat. Similiter repletio
 nauseam & fastidium mouens, plurimum est euitan-
 da, & præcipue ex malis alimentis. Nam si fastidi-
 um sit ex crassis alimentis, proueniunt dolores iunctu-
 rarum & renum, & podagra, induratio splenis &
 epatis, & ægrotudines phlegmaticæ ac melancholicæ.
 Si uerò fastidium fuerit ex alimentis subtilibus, pro-
 ueniunt febres acutæ & malignæ, & apostemata a-
 cuta, igitur repletio quæ fit usq; ad nauseam, est cui-
 tanda.

Appeti-
 tus reti-
 nendus.

Et semper curandum est, ut stomacho mane at alia
 quis locus uacuus, ne penitus desyderium sopiatur,
 sed remaneat aliquis edendi appetitus. Vnde Aui-
 cenna 3. 1. doctrina 2. cap. 7. Cibo nullus ita replen-
 dus est, ut non sit locus superfluus, sed est ab eo re-
 mouendus, reliquijs desyderij adhuc in anima reman-
 entibus.

mentibus. Et hoc obseruandum est cum primis in ijs qui
 bus sit appetitus uehementior, sunt enim nonnulli na-
 tura debiliorem cibi appetentiam consequuti, quibus
 fortassis concedendum ut plus comedant.

DE DISPOSITIONE ANTE CIBI
 sumptionem, edendi item & ciborum
 ratione. CAPVT VI.



TVnunquam comedas, stomachum
 ni noueris antè
 Purgatum, uacuumq; cibo, quem sump-
 seris ipse.

DE CONSERVANDA

Ex desiderio poteris cognoscere certe
Hæc sint signa tibi, subtilis in ore dia-
ta.

Ecphrasis.

Heic traduntur quædam præcepta, homini sani-
tatis suæ studioso, ante cibi sumptionem obseruanda.
Primum est, ne sumat cibum, nisi stomachus à malis
humoribus sit expurgatus, uidelicet per uomitum, ex-
pellendo humores putridos ac prauos in ipso existen-
tes, quia si sumeretur cibus prædictis humoribus in
stomacho residentibus, ex talium cum cibo commix-
tione, cibus sumptus corrumperetur. Secundum est, ne
sumat cibum nisi stomachus à sumpto cibo iam con-
cocto & digesto euacuatus sentiatur, Quia nihil est
deterius humão corpori, quàm cibi prioris digestio
nondum absoluta, sed tantum inchoata, alium cibum
ingerere. Ita enim prioris cibi digestio iam inchoata
impeditur, & digestio prioris antè complebitur, qui
transiens ad epar per uenas Mesaraicas, trahet se-
cum cibum postremò adsumptum indigestum, unde
crudi humores in corpore crescent.

Fames.

Sequuntur dein duo signa euacuationis stomachi
à cibo præassumpto. Primum est desyderium certum,
id est uera fames. Sciendum autem est, duplicem esse
famem, ueram scilicet, & mendosam. Veram descri-
bit Gal. commentar. 16. lib. 2. Aphor. ubi sic inquit:
Famescere illos dicimus, qui ob ciborum inopiam ad
extremam esuritionem perueniunt. Sed mendosa fa-
mes.

mes est cibi appetitus, corpore non indigente. Et sicut uera fames fit ex constrictione & corrugatione uenarum orificij stomachi, procedentibus à suctione membrorum inanitorum cibo indigentium, ita mendosa fames solet ab his fieri, quæ stringunt & rugant orificium stomachi, membris cibo non egenibus, ut ab actu frigidis, stypticis, aut acetosis. Huius signi & secundi præcepti præcedentis mentionem facit Auicenna 3. 1. doctrina 2. cap. 7. Oportet præterea, inquit, ne aliquis comedat nisi post desyderium, neq; in hoc tardetur, cum desyderium ebullierit, id est, forte fuerit, nisi mendosum fuerit, ut ebriorū desyderium, & habentium fastidium, quoniam tolerare famem, stomachum malis & putridis replet humoribus, quos attrahit ad se loco cibi, ut patet per experientiam, cum ieiunamus, noctu habemus appetitum comedendi, sed sequenti die minimè: ergo est signum, stomachum tunc esse repletum malis humoribus, & maximè orificium eius, quæ repletio non est uera, sed mendax, & propterea sumpto pauco cibo, regreditur statim appetitus. Auicenna ibidè: Neq; ipse, neq; omnes, qui sanitatem custodire uolunt, aliquid comedant, nisi desyderium fuerit certum, & stomachus, & superiora intestina à primo nutrimento euacuata fuerint. Quod enim in corpore existit deterius, est nutrimentum super nutrimentum, quod non est digestum, mittere. Secundum signum quod significat super certo desyderio siue certa fame, est subtilis diæta

DE CONSERVANDA

præcedēs, id est, parua administratio cibi, quādo & illam sequitur fames, significatur esse certa & uera.

**Cibi di-
uersi.**

Insuper sciendum est, in una eademq; refectione, pessimum esse si simul multi & diuersi cibi coniungantur, ut carnes & pisces, uel pulli & suilla, ac postea tempus inter comedendum producat. Quia primus cibus iam digeri incoepit, cum accedit ultimus, & ita partes in digerendo fiunt dissimiles, adeo ut præassumptæ prius digestæ sint, quàm postremò sumptæ digestionis suæ medium attigerint: unde quarundam sequitur corruptio, id quod innuit Auicē. 3. 1. doctrina secunda, cap. 7. ubi sic inquit: Nihil quidem deterius est, quàm diuersa nutrimenta simul coniungere, & post in comedendo tempus prolongare: cum enim postremum nutrimentum aduenit, primum iam incoepit digeri: nutrimenti ergo partes in digerendo non æquantur.

**Edendum
quandiu.**

Attamen mora inter edendum ad unam ferè protracta horam, causa bonæ masticationis & transglutinationis non improbatur, sed plurimum facit ad sanitatem tuendam, quia perfecta cibi masticatio cum tarda & lenta transglutinatione est quasi media digestio: sed mala masticatio, uel digestionem impedit, uel certè retardat. Mora uerò inter edendum cum interlocutionibus, ad duas uel tres horas plurimum nocet, & sequuntur inde incommoda

prædicta.

DE

VALETVDINE. 14
DE CIBIS MELANCHO-
licis uitandis.

CAPVT VII.



Perfica, Poma, Pyra, & Lac, Case-
us, & caro falsa,
Et caro ceruina, & leporina, caprina, bo-
uina.
Atra hæc bile nocent, suntq; infirmis i-
nimica.

Hic recensentur decem alimenta Melancholi-
am generantia, & infirmis inimica. Primum est esus
Persicorum, de quibus Gal. cap. 19. lib. 1. alimento-
rum, sic scriptum reliquit: Nempe horum succus fa-
cile corrumpitur, & penitus noxius est: quapro-
pter post alios cibos ultima minimè edere, uti quibus-
dam mos est, oportet. Nam in summo natantia, citò
corrumpuntur. Quin huius quoq; communis edicti
deceat meminisse, uidelicet; Omnia cibaria prauum
succum

DE CONSERVANDA

Persica
prima
mensa e-
denda.

Succum cum humiditate & lubricitate obtinentia,
 ex facili descendere, coque prima mensa sumenda es-
 se. Sic enim & ipsa celeriter pertranseunt, & alijs
 commodè præeunt, ac quasi uiam manuum. Postremò
 autem sumpta, unà secum alia in corruptione tra-
 hunt. Hinc patet istud dictum intelligendum de Persi-
 cis, post alium cibum comestis, ipsa enim præsumpta
 stomacho conferunt, uentrem leniunt, appetitumq;
 cient.

Vnde Auicenna 2. Canone, Tractatu 2. cap. 571.
 Matura, inquit, sunt bona stomacho, & in eis est uir-
 tus faciendi appetitum cibi, & oportet quidem, ut
 non comedantur post alium cibum, quoniam corrumpo-
 puntur post eum, sed præcedant, ante cibum. Simili-
 ter Dioscorides libro primo, cap. 131. Persica inquit,
 poma matura tam stomacho quàm uentri utilia sunt,
 acerba aluum cohibent, sed sicca uehementius, deco-
 ctum è siccis, alui stomachique fluxiones sistit.

Et Serapion de Simplicibus capit. 241. Quando Per-
 sica sicca, trita super locum puluerisantur, unde fluit
 sanguis, abscondunt eum. Et licet prædicta habeant iu-
 uamentum, attamen quia humorem generant putri-
 dum, noxia sunt infirmis, & præcipuè intempestiuè
 sumpta Persica porrò frigida sunt in primo ordine,
 & humida in secundo.

Pyra.

Secundum, Pyra, hæc enim & generaliter omnis
 fructus recens, non coctus, replent sanguinem aquosi-
 tate ebulliente in corpore, præparantque sanguinem
ad putre-

ad putrefactionem, & per consequens nocent aegris. Auicenna 2. Canon. capit. 550. Pyra à proprietate indunt colicam, ipsa tamen inter ceteros fructus multum impingunt, quare porci ex ipsis impinguntur plusquam ex alijs fructibus. Et quia pyra uentositatem generant, & sic inducunt colicam, usus obuiant, ut pyra & alij fructus uentositatem generantes, cum carminatiuis, id est, flatum expellentibus, comedantur, uel statim uinum uetus odoriferum ab eorum esu bibatur. Meliora pyra sunt ualde odorifera, & dulcia, meliora item cocta quàm cruda, coquantur uerò cum Aniso, Fœniculo, & Saccaro.

Tertium, Esus Pomerum, de quibus Auicenna. 2. Ca Poma. non. cap. 569. Assiduatio, inquit, comestionis eorum, facit euenire dolorem neruorem. Poma etiam generant uentositatem, in secunda digestionem, quare nocent aegris, sicuti de pyris dictum est, idq; maxime de crudis intelligendum est: neq; solum hi fructus infirmis sunt uitandi, uerum etiam quicumq; implem sanguinem aquositate ebulliente, ut fructus recentes, quorum succus in humano corpore non secus ebullit atq; mustum, & succus fructuum feruendo ebulliunt in uase, & hoc propter calorem solis in eis relictum, cum maturarentur. Hi enim fructus propter ebullitionem succi sui, præparant sanguinem putrefactioni, tametsi eo tempore quo sumuntur, humectent, & hac de causa Auicenna. fructus recentes febricitantibus interdixit. 1. quarti, Tracta. 2. cap. 7. Omnes, inquit,

DE CONSERVANDA

Lac.

inquit, fructus nocent febricitantibus ebullitione sudæ
& corruptione in stomacho.

Quartum, esus lactis, quia lac facile corrumpitur, inq; fumum & acetositatem in immundo stomacho couertitur, qualis est stomachus laborantis febre putrida: quare febricitantibus febre putrida non conceditur. Nocet quoq; laborantibus dolore capitis, siticulosi, & compluribus alijs, de quibus Hippoc. lib. 5. Aphor. 64. Lac dare caput dolentibus malum, & c. Conuenit tamen in quibusdam passionibus, ueluti in Phthisi & Hectica, & quibusdam alijs, ut dicit Hippoc. Aphorif. iam citato, De hoc plura dicentur infra cap. 34. Et quamuis lac in dictis passionibus improbetur, in sanis tamen laudabile est, & hoc si in stomacho & epate bene digeratur, tunc enim omnibus auxiliatur internis exulcerationibus, præsertim faucium, pulmonis, interaneorum, uesciæ, & renum, sua aquositate & butyrositate lauando & mundificando: humorib. uenenosis repugnat. membra humectat, tormina acrium humorum intestinis mitigat, quia uisceribus inuisantur, & humorum prohibet morsum. Præterea conuenit lac corporibus temperatis, quorum stomachus mundus est à Cholericis & Phlegmaticis humoribus. In his enim bene digestum, multum præbet nutrimenti, laudabilem generat sanguinem, carnem augmentat, totum corpus probè humectat, exteriora pulchra reddit, ut refert Isaac in dietis uniuersalibus. Vbi
etiam

etiam dicit auctoritatem Ruffi, quòd lac bibentes ieiunos esse oporteat, & bibatur calidum protinus ut mamillis excidit, neq; aliquid comme datur, quo usq; digeratur; & caueatur labor, & nimius motus. Non est tamen quiescendum prorsus à deambulatione, sed deambulandum lentè, donec in stomachi fundum descendisse sentiatur. In distemperatis uerò corporibus lac non conuenit, in calidis enim citò in fumositatem & choleram conuertitur. In frigidis uerò in acetositatem & putredinem. Stomacho etiam immundo lac non conuenit, quia in eo corrumpitur. Quantum ad electionem attinet lactis cibi causa, eligendum est lac æquali crassitudine, neq; ut Camelinum, aut Asininum, liquidissimum, & minimè pingue, neque pinguisimum & crassissimum, ut bubulum. Eligendum est igitur lac capræ, quod minus habet aqueæ substantiæ quàm Camelinum, & minus pinguetudinis, & caseosæ crassitiæ quàm bubulum, quod propter crassitiem & pinguetudinem oppilat uenas, & generat uentositates, estque difficilioris digestionis quàm in sanitate tuenda conueniat. Eligatur igitur lac capræ, non nimis propinquæ partui, nec nimis distantis à partu, non prægnantis, nutritæ in lætis pascultis.

Quintum, Esus casei, potestque intelligi de omni caseorum genere, maximè tamen de ueteri. Caseus enim recès frigidus & humidus est, & crassæ substantiæ, & difficilis digestionis, obstruit & calculos

DE CONSERVANDA

los generat, nec admodum conducit sanitatis suæ flu-
 dioso. Vetus autem caseus, ratione salis, calidus &
 siccus est, facit cibum digeri, cum ipse difficulter di-
 geratur, iuxta uersiculum:

Caseus est nequam, quia digerit omnia, se quam.

Parum & malè nutrit, stomacho nocet, nimis de-
 siccatur, minusq; quam recens competit. Caseus qui
 est inter utrumq; medius, uidelicet, inter recentem
 & ueterem, uiscosum & frangibilem, durum & mole-
 lem, declinans ad aliquam dulcedinem, non nimis
 falsus, neq; lachrimosus cum inciditur, saporis de-
 stabilis, & boni odoris, ex bono lacte conuenienter
 factus: talis utiq; bonus est, & præ alijs eligendus, &
 post alios cibos sumendus, non immodicè, aliàs enim
 obstruit aluum, stomachum grauat, digestionem im-
 pedit, lapidem in renibus, humores crassos, & flatus
 in corpore generat. Solus igitur

Caseus ille bonus, quem dat auara manus.

**Caro sal-
 sa.**

Sextum, caro salsa, hæc enim siue sole, siue fu-
 mo exiccata, cuiuscunq; generis, aut animalis fuerit,
 generat sanguinem crassum, & melancholicum, ac
 proinde nocet infirmis, neq; conuenit sanis: & hoc
 innuit Auicenna. 2. 1. Doctrina. 2. cap. 15. circa finem,
 Exemplum, inquit, Spissi pauci nutrimenti mali chy-
 mi, id est, mali humoris est caro falsa.

Ceruina.

Septimum, caro ceruina, quæ & ipsa sangui-
 nem melancholicum generat, teste Rhaze. 3. ad Man-
 sorem cap. 9.

Octauum,

Octauum, caro leporina, quæ maximè sanguinem melancholicum generat, unde Rhazes loco citato: Ipsa plus alijs melancholiæ generatiua est. Et de hac Isaac in diætis uniuersalibus testatur, quòd non conueniat ut eibus, sed solummodo ut medicina. Et est notandum, quòd hæc caro & ceruina, cum fuerint animalis multum in senectute prouecti, simpliciter sint euitandæ: si tamen aliquo modo conucniant, meliores sunt partui propinquiores.

Nonum, caprina. Decimū, bouina, hæc carnes etiam sunt Melancholicæ, unde Isaac in diætis uniuersalibus. Caro, inquit, caprina, & bouina, est pessima, dura, in digestionem tarda, & digesta crassum generat sanguinem, & Melancholicum. Et Auicenn. Canon. cap. 146. Caprina uerò, non est bona multum, & eius humor fortasse est malus ualde. Sub hisce tribus intellige & hircinam, & uaccinam, quæ prædictis sunt peiores. Dicit enim de eis Auicenn. ibidem. Caro uaccina & ceruorum, & hyrcorum syluestrium, & magnarum auium, facit euenire febres quartanas. Galenus in lib. de renum affectus dignotione. Ceruinam carnem uitabis, quippe quæ dura sit, concoctus difficilis, & melancholica. Item de carne uaccina: Caro uaccina, plurimi est nutrimenti, crassa, melancholica, generans ægrotudines melancholicas. Et, caro uaccina generat lepram. Caro hircina est mala absolutè. Circa electionem uerò carnis animalium quadrupedum, inter auto-

Leporina

Caprina.

Bouina.

Vaccina.

Hircina.

DE CONSERVANDA

res controuersia est, quidam enim carnes porcinas meliores esse dicunt, sicut Galenus & quidam alij. Alij uerò carnes boedinas, sicut Rhazes, Auicen. & Auerroës. Licet Auerroës quinto colliget, imponat Auicennæ, quòd dixerit carnes porcinas esse meliores, cum tamen hoc ipsum non dicat, autoritate propria, sed Christianorum. Alij uerò uitulinas præferunt. Porrò electio & præstantia carnis animalium quadrupedum, multipliciter attendi potest.

Primo ex parte maioris nutrimenti, & irreso-
Porcina. lubilioris, & carnibus humanis similioris. Et hoc modo caro porcina cæteris est melior. Primo ob maximam similitudinem, quam habet cum carnibus humanis, teste Galenolib. 3. Alimentorum, cap. 1. ubi dicit. Similitudinem quæ suillæ carni cum humana est, uel ex hoc colligas, quòd quidam humanis carnibus quasi porcinis uescentes, nullam eius neq; ex gustu, neq; olfactu suspicionem habuerunt. Et lib. 10. Simplicium Medicam. cap. de sanguine suillo: Sanguis suillus humano maximè temperie similis est: comperti enim sunt hospites, & coqui complures, qui humanas carnes pro suillis uenderent, tametsi qui eas edissent, nullum omnino discrimen percipere potuerint, donec inuenerint digiti partem anteriorem. Idem Auicen. 2. Canon. cap. 610. Et Auerroës 5. colliget. cap. de Carne. Secundo, quia caro porcina ualde nutrit, dicit enim Gal. 3. alimentorum, cap. 1. Inter omnia edulia ualentissima est suilla.

Suilla. Argumento sunt euidentissimo ipsi athlete.
 Tertio, quia generat alimentum firmum, fortiter
 resistens resolutioni. Et hæc fuit mens Galeni mul-
 tis in locis, ubi porcinas cæteris carnibus præfert,
 ut lib. 8. Therap. Metho. cap. 2. ubi dicit: Ex ipsis
 suillis carnibus optima est montana, ab his deinceps
 hœdus est. Et similiter in lib. de renum adfectus di-
 gnotione. E pedestribus optimi succi, est caro suilla,
 & hominibus maximopere familiaris, maximeq;
 tum nutritibilis, tum uerò corrobrans. Et in lib. de ci-
 bis boni & mali succi: Suilla caro, si exactè in uen-
 triculo concoquatur, tum in sanguinem à iocinore
 conuertatur, probatissimos humores gignit. Quod
 quidem uerum est, si de carne porcorum non anti-
 quorum intelligatur, quia eorum caro indigestibi-
 lis est, neq; iuuenum siue lactentium, eorum enim
 caro humidissima est, sed ætate mediocrium, uideli-
 cet unius uel duorum annorum, tam domesticorum
 quàm syluestrium. Verisimilius autem æstimandum
 est, quòd porci syluestres domesticis sint meliores,
 quia caro porcorum domesticorum, est debito ui-
 scosior, unde Auicen. 2. Canon. cap. 146. Christia-
 ni, inquit, dicunt, & qui eos imitantur, quòd meli-
 or caro syluestris est caro porci syluestris. Nam cum
 hoc quòd est leuior carnibus domesticis, est fortis nu-
 trimenti & plurimi, & uelocis digestionis: Et est
 melior quàm esse potest in hyeme. Hinc sequitur
 quòd carnes porcine multum laudabiles sint corpori

DE CONSERVANDA

ribus iuuenibus, sanis, fortibus, laborantibus, non dispositis ad oppilationes, & his qui impinguari cupiunt, huiusmodi enim corpora indigent plurimo nutrimento, & difficulter resolubili. Ideo Rhazes 3. ad Mansorem, cap. 9. Caro autem, inquit, crassa multum laborantibus conueniens est, subtilis uero his qui praedictis sunt contrarij, conuenit. Idem sentit & Auicenna 3. 1. Doctr. 2. cap. 7. Exercitati praeterea ac multilaboris, magis tolerant crassa alimenta, aliter etiam potest attendi praestantia, & electio carniuum, & temperata uidelicet complexionem, facili digestionem, & sanguinis inde geniti temperantia, ut scilicet illa dicatur caro melior, quae temperata sit complexionis, facili digestionis, sanguinem in caliditate & frigiditate, subtilitate & crassitie temperatum generans, & hoc modo, haedina est melior ac laudabilior ceteris, teste Rhaze, Auicenna & Auerroë: Dicit

Haedina. enim Rhazes 3. ad Mansorem, cap. 9. Haedina caro est temperata, nullam in se habens malitiae admixtionem, quae licet temperatum generet sanguinem, laborantibus tamen non congruit, cui nulla alia caro praefenda est, non est enim adeo debilis, ut ex ea uirtus destruat, neque eius nutrimentum adeo multum est & crassum, ut ex eo in corpore proueniat repletio, & crassus generetur sanguis. Sanguis quoque qui ex eo generatur, inter subtilem & crassum, ac inter calidum & frigidum existit. Et haec non conuenit multum laborantibus, sed iuuenibus temperatis, exercitio

exercitio mediocri utentibus : quia generat sanguinem
forti exercitio seu labore facillimè resolubilem . Et
quemadmodum caro hœdina inter carnes domesti-
cas , ita caro capreoli inter syluestreos præfertur.
Post uerò hœdinam plurimi ex medicis , ut Rhazes,
& Auerrois , ponunt carnem arietum : & dicit A-
uerrois quinto colliget cap. 32. Hæc est opinio maio-
ris partis medicorum , præter Galenum , qui abomina-
tur carnes arietum , & uidetur sibi , quòd caro uitu-
lorum est melioris nutrimenti , quàm arietina . For-
san Gal. respexit ad præstantiã nutrimenti , cò quòd
plurimum nutriat , & nutrimentum sit magis irreso-
lubile , quod magis uidetur conuenire carnibus uitu-
linis , quàm arietinis , cum arietinæ magis humide
sint .

Arietina.

Postremo uerò , præstantia & electio carniū po-
test haberi ex minori uiscositate & iocundiori odo-
re . Et sic uitulinæ sunt cæteris meliores , id quod in-
nuit Auer. quinto colliget. cap. 32. Et carnes , inquit,
uitulinæ sunt bonæ carnes , propterea , quòd non ha-
beant illam uiscositatem , frigiditatem , & siccitatem ,
quam habent carnes bouinæ ueteres , & carnes eo-
rum sunt magis odorifera alijs carnibus . Et quantum
est in hoc , meliores sunt carnibus hœdulinis , quia in
carnibus hœdulinis manifestatur quædam mucilago ,
id est , uiscositas , quando coquuntur . Sed carnes hœ-
dulinae , sunt meliores uitulinis , quia meliores gene-
rant humores . Vnde patet non esse tantam contro-

Vitulina.

DE CONSERVANDA

versiam inter medicos, de electione carnum, quanta
 prima facie apparet. Notandum insuper, carnes
 animalium siccae complexionis, meliores esse cir-
 ca partum, quam multum à partu distantes. Er-
 go hœdi & lactentes vituli meliores sunt hircis
 & bobus, quia eorum siccitas primæ ætatis humidi-
 tate corrigitur. Sed carnes animalium complexio-
 nis humidæ meliores sunt distantes à partu, & cir-
 ca partum deteriores, quia nimia eorum humidi-
 tas progressu ætatis exiccantis, id est iuventutis,
 corrigitur aut tollitur, & ab humiditate primæ æ-
 tatis augetur. Ideo iuvenes arietes castrati unius
 anni, sunt meliores minusq; viscosi lactentibus agnis,
 & porci unius uel duorum annorum porcellis la-
 tentibus meliores. Vnde bene dixit Auicenna 3.
 1. cap. 7. Oportet autem, inquit, ut cibus sit ta-
 lis, quales sunt carnes, & propriè carnes hœdorum
 & vitulorum lactentium paruorum, & agnorum
 unius anni. Ex quibus omnibus concluditur, quod
 carnes hircorum, caprarum, arietum, bouum & por-
 corum antiquorum, non castratorum, & porcello-
 rum, & agnorum lactentium, non multum conue-
 niant pro conseruanda sanitate, sed carnes vitulo-
 rum iuuenum & arietum unius anni, & porco-
 rum unius uel duorum annorum, castratorum, ap-
 tissimæ sunt esui ad conseruandam ualetudinem. Est
 præterea notandū, carnes declinantes ad siccitatem,
 esse elixandas, ad humiditatem assandas, ut humiditas
tempe-

*Carnes
male.*

*Carnes
bonæ.*

earum temperetur, quare carnes cuniculorum, lep-
 rum, ceruorum, vitulorum, & capreolorum sunt eli-
 xanda: porcellorum uerò & castratorum arietum
 assanda. Elixatio enim temperat siccitatem. Vnde
 patet in temporibus & complexionibus humidis ma-
 gis conueniens carnes sicciore ut assentur. In tem-
 poribus uerò, complexionibus & etatibus siccis, hu-
 midiores, ut elixentur.

DE CIBIS BENE NVTRI-
 entibus. CAP. VIII.

OVa recentia, uina rubentia, pin-
 guia iura,
 Cum similia pura, naturæ sunt ualitura.

Heic recensentur tria alimenta, quæ parua quan-
 titate multum nutriunt. Primum oua recentia, de
 quibus Auicena. 2. Canon. cap. 530. Et 4. 1. cap. 1. Nus Oua
 triens, inquit, parua quantitatatis, & multi nutrimen-
 ti, sicut oua & gallorum testiculi. Idem multis alijs
 in locis repetit. Electio. Oua gallinarum, perdicum,
 & phasianorum iuuenum & pinguium conferunt in
 uictus salubris ratione: & alijs simpliciter sunt me-
 liora, eligenda autem paruula, oblonga, & candida,
 ut habetur in hisce uulgatis uersiculis.

Filia presbyteri iubet hoc pro lege teneri,

Quòd bona sunt oua hæc candida, longa, noua.

Oua item tremula, id est, per decoctionem nonnis

DE CONSERVANDA

hil in spissata, ut in manu tenentis in cortice suo uideantur tremere, sunt meliora duris, & sorbilib. Multi nutrimenti, probæ & facilis digestionis, & generant sanguinẽ cordi maximè proportionabilẽ, Vnde conualescentib. senib. & debilib. maximè conueniunt, & imprimis uitelli. Vnde Auc. in lib. de uiribus cordis. Tractatu. 2. cap. de ouis, testatur uitellos ouorum, bonæ carnis auium, ueluti gallinarum, perdicum, & phasianorum, licet non sint medicinæ cordis, ipsum tamen confortatur, Et citò in sanguinem conuertitur, & post transmutationem parum superfluitatis relinquere, sanguinem generare subtilem, clarum, quo maximè confortatur cor, multumq; ualere in dissolutione substantiæ spiritus, & diminutione sanguinis cordis: Sorbilia uerò oua, facilis sunt digestionis, leniunt pulmonem & pectus, & aluum deiciunt, minus tamen nutriunt quàm tremula. Cocta seu durata oua difficilis sunt concoctionis, & tardi transitus, crassamq; corpori exhibent alimoniam. Ouorum item excocturæ diuersitate magna differentia est. Nam quædam sunt assata, aut elixa, aut frixa, aut in iure cocta: Assata elixis sunt crassiora, & duriora, ac difficilioris concoctionis. Focus enim substantialem eorum humiditatem exiccat. Et fiunt duobus modis. Aut enim cum corticibus feruentibus inferuntur cineribus, aut in testis franguntur, In testis fracta, reliquis sunt peiora. Illa uerò, quæ cum corticibus, feruentibus inferuntur cineribus dupliciter fiunt. Aut enim toto cinere cooperi-

cooperiuntur, aut super carbones nuda collocantur. Quæ cinere cooperiuntur pessima sunt, quia calor foci circumfusus, fumositatum exhalationem prohibet. Nuda super carbonibus collocata, fumositatem emittunt, & errundantur. Elixæ in aqua, meliora sunt assatis, quia aquæ humiditas, calori foci, in siccanda humiditate repugnat. Fiunt & hæc dupliciter, aut enim cum testis elixantur, aut in aquam franguntur: cum testis elixata, reliquis peiora sunt, quia testis fumositatum & crassitie resolutionem prohibent. In aquam uerò fracta calor penetrat, crassitiem attenuat, & odoris grauitatem aufert. Vnde eius modi cæteris omnibus sunt laudabiliora. Frixæ, quia pessimos generant humores, cæteris peiora sunt, stomacho diutius inhaerent, unde sequuntur fumi, corruptio, & fastidium. In iure cocta, inter assata & in aquam fracta, media sunt, ut colligitur ex Isaac dietis uniuersalibus.

Est etiam ouorum secundum partes diuersitas. Oui par-
Nam uitellus in caliditate temperatus existens, bene tes.
nutrit. Albumen uerò frigidum est & uiscosum, du-
reque digeritur, & sanguis inde generatus non est bo-
nus, ut testatur Rhazes 3. ad Mansorem, cap. 14.
Et ut oua prædicta, scilicet gallinarum, perdicum,
& phasianorum, conueniunt in uictus salubris ratio-
ne, ita anatum, anserum, struthionum, & similibus uo-
latilium, minus conferunt.

Secundum, uinum rubrum. Vini secundum colo-

DE CONSERVANDA

rem magna est differentia. Nam quædam sunt alba, quædam rubea clara, quædam citrina, & quædam nigra: Vina alba cæteris sunt imbecilliora, minus calida, minusq; nutriencia, uerùm caput minus feriunt, urinam prouocant, & meatus aperiunt. Quòd autem cæteris sint imbecilliora, patet secundum Gal. com. 1. lib. 3. de uictus ratione in morbis acutis, ubi inquit: Vinum potens uehementer celeriterq; corpus calfacit, caputq; ferit: imbecillum contrario agit modo. Cùm ergo minus calfaciat, minusq; repleat caput cæteris, ut patebit, erit & imbecillius cæteris. Quòd autem uinum album cæteris minus calfaciat, docet Gal. com. 6. lib. 3. de uictus ratione, in morbis acut. Nempe, inquit, ex uinis albis nullum ualenter calfacere potest, quod enim summè calidum est, id continuo & flauum existit, ueluti & quod ab ipso est fuluum, mox ab his rubrum, & deinde dulce. Album autem minus quidem his omnibus calfacit. Et hoc uerum est, si inuicem compares uina eiusdem territorij. Quoniam uina rubra & ruffa gallica, non sunt tam potentia, nec ita calida, sicut multa alba, quæ in alijs territorijs reperiuntur. Quare comparanda sunt inter se uina eiusdem territorij: Quòd uerò & cæteris minus nutriant, probatur per Gal. com. 11. lib. 2. Aphoris. ubi sic scriptum reliquit: Vina aquosa (sic autem nominant alba & tenuia) sicuti aquæ similem formam habent, ita etiam uim: quare urinam cient, & minimè nutriunt. Item in com. 18.

Album:

com. 18. eiusdem libri, Vina, inquit, aquosa, exigua
 præbent corpori alimentum : sunt hæc colore qui-
 dem alba, tenuia uerò substantia. Quòd item minus
 caput feriant, probat Auicenna 3. 1. doct. 2. cap. 8.
 Vinum, inquit, album & subtile calfactis est melius,
 non enim capitis efficit dolorem, sed fortasse hume-
 scabit, & dolorem capitis alleuiabit, qui ex stomachi
 ardore prouenit. Item teste. Gal. com. 1. lib. 3. de uict.
 rat. in morbis acut. Ratio autem, cur minus feriant
 caput, est quòd minus fumosa ac uaporosa sint cæte-
 ris. Quòd autem aperiant, urinamq; cient, docet Hip-
 po. Canon. 6. lib. 3. de uictus ratione in morbis acut.
 Ad uesticam, inquit, uino alio magis penetrat, uri-
 namq; prouocat, & perpetuò purgat : atq; multa ad-
 opem his morbis ferendam facit. Ex hoc sequitur, ui-
 na alba tenuia, magis conuenire calidioribus siue à
 natura, ut cholericis & sanguineis, siue ab acciden-
 ti, ut ex ira uel mora in sole. Studiosis præterea ma-
 gis conueniunt, & quibus exhibendum sit uinum mi-
 nimè cerebrum perturbans, Et habentibus cerebrum
 imbecillum, idq; per naturam, siue ex accidenti. Ex-
 potenti enim uino facilimè inebriantur, ut innuit A-
 uic. 3. 1. doct. 2. cap. 8. Attamen si uti uoluerint uinis
 potentibus, necesse est ea copiosiore aqua dilui. Con-
 ueniunt quoque uina imbecilla epar calidum haben-
 tibus & stomachum, & habitantibus in regione ca-
 lida, quia calida uina in ipsis æstuationem facerent.
 Vina uerò rubra clara, sicut Bellouacensia, calidiora
 sunt.

DE CONSERVANDĀ

sunt ceteris, ut autor est Gal. com. 6. lib. 3. de uictus ratione in morbis acut. Quod summè inquit, calidum est, id continuò & flauum existit. Et hæc uina etiam ceteris magis nutriunt, & habet Gal. com. 11. lib. 2. Aphor. ubi dicit: Crassa uerò & colore rubea, plus alimenti habent quàm reliqua uina. Inest autem eis, & citissimè implere corpora euacuata, quod ita est intelligendum. Vina rubea dici nutribilia, quia ex eis plus in substantiam membrorum conuertitur. Vina tamen nigra possunt dici nutribilia ceteris, quòd magis nutriant, & tardius à membris resoluantur, Vnde Galen. comment. 18. lib. 2. Aphor. Crassa, inquit, & fusca, multò magis corpus alunt quàm aquosa. Tantum uerò uincuntur à nigrioribus in nutriendo plurimum, quantum superant in præstando uniuersum & uelox alimentum. Ita enim intelligitur dictum Isaac in dietis particularibus, ubi contendit, uinum nigrum plus nutrire quàm rubeum. Et ista uina rubea magis feriunt caput quàm alba, minusq; uirinam cient. Hinc imbecillum habentibus cerebrum non conueniunt, ut dictum est, sed bene habentibus forte, quod uapores ad se eleuatos, non suscipit, ut dicit Auic. 3. 1. Doct. 2. cap. 8.

Sciendum præterea, quòd ingenium hominis fortis cerebri magis clarificetur & acuatur, si bibat uinum bonum, quàm si non biberet, ut Auic. test. loco citato. Ratio, quia ex bono uino plus quàm ex quocunq; alio potu, generantur & multiplicantur spiri-

tus tenues, clari, & puri. Quare Theologi in co- Vina
 templatione circa altissima deligunt uina bona. Con Theolo-
 ferunt itē hominibus frigidae complexionis & phlego gica.
 maticis. Auicē. ibidem teste, Corrigunt enim frigidi-
 tatem, & aperiunt oppilationes, quae solent euenire
 frigidis & phlegmaticis, digeruntq; phlegmata ad
 conuersionem in sanguinem, & ipsa facillimè digerun-
 tur, citoq; penetrant, praebentq; alimentum purum,
 & spiritus plurimos. Vina uerò citrina, minus cal-
 faciunt quàm rubea clara, ut testatur Gal. com. 6. lib.
 3. de uictus ratione in morbis acut. Magis uerò cal-
 faciunt quàm alba, quare magis etiam caput feriunt,
 teste eodem Gal. com. 1. lib. 3. de uict. rat. in morbis
 acut. Minus etiam nutriunt quàm rubea, excellentia
 us tamen quàm alba. Et à quibusdam haec uina etiam
 alba uocantur. Hinc quidam dicunt, uina alba citò
 plurimum calfacere, Vina uerò nigra minus calface-
 cere quàm citrina, ergo etiam minus ferire caput,
 sed quia tardius descendunt in uentrem, urinamq;
 minus cient quàm alba, uehementius caput feriunt
 quàm alba, ut habet Galen. loco paulo ante citato. Et
 ipsa uina plus etiam nutriunt quàm alba & citrina,
 minus tamen, quàm rubea, ut dictum est.

Tertium, sorbilia facta ex iusculis carniū, & iura ē
 praecipuè pullorum. Huiusmodi enim naturae humanae carnibus.
 ne auca sunt, quia facillimè in sanguinem commu-
 tantur, & sanguinem bonum generant, maximè si
 praeparentur ex simila, id est, ex subtilissima parte
 farinae:

DE AONSERVANDA

farina: quia simila, tritici præsertim, plurimum nutri-
trit, & bonum nutrimentū præstat, ut patet ex Rhaze
3. ad Mansorem. cap. 3. Hæc tria alimenta Auic.
2. 1. Doct. 2. Summa 1. cap. 15. circa finem, cõpendio-
se enumerat. Exemplum, inquit, subtilis, multi nutri-
menti, boni chymi, ouorum uitelli, & uinum, & aqua
carnis. Vnde concluditur hæc tria naturã humanam
maximè confortare.

DE CIBIS BENE NVTRIEN- tibus & impinguantibus.

CAPVT IX.

NVtrit triticum & impingat, lac,
caseus infans.

Testiculi, porcina caro, cerebella, medul-
læ.

Dulcia uina, cibus gustu iucundior, oua
Sorbilia, & ficus maturæ, uuaq; recen-
tes.

Hic referuntur res duodecim, unde corpus huma-
num & nutrirī & impinguari perhibetur.

Primã est triticum, id est, panis triticeus, de quo
Auicenn. 2. Cano. cap. 572. Panis, inquit, qui est de fru-
mento nouo, impingat uelociter. Rhazes uero 3.
ad Mansorem, cap. 2. Triticum ait, temperamento
uicinum est, licet caliditati parum attineat. Quod
autem ponderosius inuenitur & solidius, maioris est
nutrit-

nutrimenti, hominib. quoq; omnibus alijs granis magis conueniens, & magis proprium inuenitur. Sanguis etiam ex eo generatus, omni sanguine qui ex alijs generatur granis temperatior existit. Et cap. 3. eiusdem lib. Panis inquit, qui ex tritico fit, pluribus hominum conuenientior est. Electio autem tritici sumitur partim à sua substantia, partim uerò à præparatione. A substantia quidem, ut dicit Auicenna 2. Canon. cap. 250. Melius est illud, quod est medium inter duritiem & raritatem, magnum, pingue, recens, planum, quod est inter rubedinem & albedinē. Frumentum uerò nigrum est mali nutrimenti. Electio ex præparatione. Sciendum, quòd omnia que sunt ex farina tritici frixa, tardè à stomacho descendunt, crassos humores generent, uias epatis oppilent, splenem augmentent, & calculum generent, multum quidem nutriunt, si digerantur. Triticum uerò elixum in cibo grauat, & difficulter digeritur, quòd si tamen digeratur, uehementer nutrit, & eorū roborat uirtutem Panes autem ad concoctionem aptissimi sunt, qui plurimū fermentati, & ad probè elaborati in clibano, igne moderato percoquantur, teste Gal. lib. 2. cap. 2. de alimentorum facul.

Secundares, lac est, & potest intelligi de lacte. Lactis est acetoso, cui butyrum detractum est, quod si comedatur cum pane recenti, siue calido, maximè impinguat. Intelligi etiam potest de lacte caprimo, de quo dictum est supra cap. 7.

Tertius

DE CONSERVANDA

Caseus. Tertia res, est caseus infans, siue recens, de quo Auicen. Cano. 2. cap. 127. dicit, quòd nutriat & impinguet. Et licet caseus recens nutriat & impinguet, non tamen conuenit in uictus salubris ratione, quia sequuntur ex eo nocumenta, suprà in cap. 7. enumerata.

Testiculi. Quarta res est, testiculi, quòd imprimis de gallorum pinguium testiculis intelligendum est, de quibus Auicen. 1. Can. cap. 719. dicit, quòd sint ualde boni, & plurimi nutrimenti. Et quarta, 1. cap. 1. testatur, eosdem parua quantitate multum nutrire. Idem sentiri potest de testiculis porcorum admodum pinguium, Venerem nondum expertorum. Etenim quanto horum caro alijs præfertur, tanto horum quoque testes aliorum animalium testibus. Galen. lib. 3. cap. 6. de alimentorum faculta. Est hic quoq; diligenter notandum testiculos animalium provectorum, in quibus semen iam fermentatum est, non esse boni nutrimenti, sed testiculos animalium iuuenum, nondum Venerem expertorum, quibusq; semen nondum fermentatum est, laudabilis esse nutrimenti, si probè concoquantur.

Quinta, caro porcina, de cuius electione & effectu satis superq; dictum est suprà cap. 7.

Cerebrū. Sexta, cerebella, pro cuius declaratione obseruandum, quòd cerebrum stomacho sit inimicum, nau-seam concitet, & cibi fastidium, pituitosum, & crassifucci; Si tamen probè confici possit, alimentum corpori

pori non infimæ notæ præstabit. Attamen cauendum, ne in cibus postremo loco sumatur, nimirum ipsa loquente experientia, nauseam post consecuturam. Neq; iniuria pleriq; cum origano sumptitant, uti nonnulli cum apparato uarijs modis sale, quippe, cum crasso succo & superfluo constet, incidentibus & calefacientibus contemperandum est. Quod quidem antequam comedatur, super ardentib. carbonib. assandum est. Nocet autem ijs quos frigida infestare solent ægrotudines. Hominibus uero complexionis calidæ minorè noxiam præstat, teste Rhaze 3. ad Mansorem, cap. 11. In summa, parum couenit in uictus salubris ratione. Aliquando tamen conuenit ut medicina, sicut cerebrum capreoli confert contra uenena & morsum uenenatorum, & cerebrum leporis contra tremorem, & ut quibusdam placet, cerebrū pulli & caponis ad memoriam, & acumen siue uigorem ingenij. Circa electionem tamen sciendum, meliora esse auium, & præcipuè montanarū. Ex cerebris autem quadrupedum præfertur arietis, deinde uituli, ut testatur Auicen. 2. Canon. cap. 329.

Septima, est medulla que multi nutrimeenti est, siquidem bene digeratur, ut dicit Auicen. 2. Canon. cap. 496. Etiam facile in sanguinem conuertitur, hoc tamen mali præstat, quòd prouocat nauseam, & cibi fastidium. Quare Auicenna, teste, seminibus & pipere condienda est in cibo, Quod delicatuli quidam & Apitij faciunt citonijs & passulis. Electio.

Medulla
ofium.

DE CONSERVANDA

Etio. Dicit Auicenna: Conuenientior est medulla uitulorum & cerui, deinde tauri, & postea caprearum, deinde ouium.

Octaua, dulcia uina, de quibus infra cap. 11.

Nona, cibus gustu iucundior, hic enim maxime nutrit, iuxta Aphor. 38 lib. 2. Hippoc. Parum deterior potus, aut cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est preferendus. Et Galen. in comment. ait: Quaecumq; cum uoluptate adsumuntur, ista uentriculus auidius amplexatur, faciliusq; concoquit, sicuti illa, quae displicent, refugit. Vnde & nausae, & flatus, & fluctuationes subsequuntur. Hinc quidam maius nutrimentum consequuntur ex cibo malo quam bono, quia malo magis delectantur.

Decima, oua sorbilia, quae parua quantitate multum nutriunt. Sed de his supra capit. 8.

**Oua sorbilia.
Ficus.**

Vndecima, matura ficus, quae dulcedine sua multum nutriunt & impinguant. Et licet nutrimento habeant imbecillius, nutrimento carnis & granorum, uehementius tamen omnibus alijs fructibus & nutriunt & corroborant, teste Auicenna. 2. Canon. cap. 233. ubi sic inquit: Ficus quidem nutritibilior est ceteris fructibus. Idem 3. 1. Doctr. 2. cap. 7. Fructus, inquit, nutrienti magis similes sunt, ficus, & uuae ualde matura, & dactyli. Electio, Auicenna 1. Canon. cap. 233. Melior est alba, deinde rubra, deinde nigra, & quae uehementer matura est, melior

mellior est, & proxima ad hoc ut non noceat.

Ficus item humida, & recentes magis uelotiusque nutriunt quam sicca, & citius de stomacho ad epas transeunt, ipsumque magis humectant, & lenius reddunt quam sicca. Sicca uero minus inflant, & magis conueniunt stomacho quam humida. De siccis Auicen. loco iam citato sic inquit; Sicca quidem in suis operationibus est laudabilis, uerum sanguis ex ea generatus, non est bonus, & propter hoc facit pediculos, uerum si sit cum nucce, tunc eius chymus fit bonus, & post nucem cum amygdala. Sequitur in Auicen. Administratio sicca, cum ieiunium adest, est mirabilis inuamemi in aperiendo uias cibi, & proprie cum nucce & amygdala, cum tamen eius nutrimentum cum nucce sit plus quam cum amygdala. Vtraque ficus in hoc conueniunt, quod inflent, leniant, superfluitates ad cutem expellant, sudorem prouocent, asperitatem gutturis emendent, emundent & leniant pectus, pulmonem, & cannam eius, obstructions epatis, splenis, & renum tollant.


Duodecima, Vuæ recentes, id est, dulces & Vuæ. matura. Porro, triplex uuarum genus est, nam quaedam sunt immatura & acerbæ, unde fit agresta, quæ stringit uentrem, choleram rubeam, atque sanguinem reprimat. Plurimum item confert in fluxu uentris cholericæ. Aliæ sunt matura, uirides & recentes, ex quibus uinum exprimitur. Hæ præcipue, si albæ fuerint, sine nucleis & cortice,

DE CONSERVANDA

uentrem laxant, & præ cæteris fructibus plurimum nutriunt, quemadmodum & ficus, minoris tamen nutrimenti sunt quàm ficus. Auicenna 2. Canon. cap. 737. Attamen uentositatem, inflationes & uentris dolorem generant. Si per duos uel tres dies à collectione aëri suspensæ exponantur, donec cortex detumescat, melius nutriunt, minusq; laxant, neque tantum inflant. Habentibus autem stomachum plenum cibo, & malis humoribus, nullo modo conueniunt uis, & imprimis recentes, & sine arillis. Citò enim in stomacho immundo & pleno cibus corrumpuntur, quia citius quàm par est digeruntur, nec possunt digestæ è stomacho ob cibum nondum concoctum descendere, quare cum ipsæ corrumpuntur, tum alium cibum in corruptionem trahunt. Ita & de alijs fructibus laxatiuis sentiendum est. Si quis uelit uti uis uiridibus ac recentibus, prius per horam in aquam feruentem infundantur, deinde in aquam frigidam, ac tandem utatur. Rhazes uerò 3. ad Mansorem cap. 20 testatur, uelociter corpus impinguare, & augmentare erectionem uirgæ. Quæ autem ex eis corticem habent tenuë, citius descendunt, minusq; inflant. His contrariæ, contraria operantur. Aliæ uis sunt siccæ, quæ passulæ uocantur, hæ in calore sunt temperatæ, bene nutriunt, & confortant stomachum, & epar, autore Auic. 2. Can. cap. 737. Et oppilationes remouent. Dicitur quoq; epar ex eis impinguari, & maximè si mundetur ab aridis. Et ita intelligenda sunt

sunt quæ hic dicuntur de uua matura, recenti, & de uua sicca, quam passulam uocant.

DE BONI VINI PROPRIETATIBUS. CAPVT X.



Vina probantur odore, sapore, nitore, calore.

Si bona uina cupis, quinque hæc laudantur in illis:

Fortia, formosa, & fragrantia, frigida, frigida, frigida.

Hic traduntur quatuor generalia signa boni uini odor
 ni: Primum odor, uinum enim boni odoris, siue redolens, multiplicat spiritus tenues, & secundum Constantinum, quinto Theorices, cap. 28. bene nutrit, bonumque sanguinem generat. A uino uero foetido natura humana abhorret, spiritus namque crassos, &

DE CONSERVANDA

melancholicos generat, & malum sanguinem, capitisq; dolorem, ex malo fumo, in caput penetrante. Galen. uerò com. 1. lib. 3. de uict. rat. in morbis acut. ut habetur in ueteri translatione, ubi agit de uini diuersitate, secundum odorem, sic inquit: Quod ex uinis est boni odoris, est melioris chymi, & secundū illud est multitudo, quæ implet ex eo caput, quòd est, quia est calidius & subtilius. Quòd autem ex eis est mali odoris, secundū malitiam chymi generati ab eo, erit paucitas lesionis eius in capite, Quòd est: quia est frigidius & crassius. Illud aut, cuius penitus non est odor, non facit accidere in capite aliquid omnino, quoniam est uehementer crassum.

Vini sa-
por.

Secundum, sapor, quemadmodum enim cibus sapi-
dior, melius nutrit, & auidius à stomacho attrahi-
tur, ut dictum est supra, ita & uinum. Sciendum ta-
men quòd & uini secundum saporem, magna sit di-
uersitas: quædam enim sunt dulcia, alijs nutribilio-
ra, crassum sanguinem generantia, uentrem humectã-
tia, concoctioni renitentia, & sitim excitantia. Alia
Ponica, siue stiptica, stomachum confortantia, uen-
trem constipantia, pectori & eius pertinentiæ, sci-
cet pulmoni & cannae eiusdem nociua, intestinis con-
grua, ad digerendum dura. Alia acerba, quæ sunt
diuretica, id est, urinam proritant, crassos humores
dissoluentia. Alia amara, minus calida, Hæc Conflan-
tinus 5. Theorices cap. 28.

Tertium, nitor, siue resplendentia, unde uini sub-
tilitas

tilitas deprehenditur, ac deinde ex eo spirituum gene- *Vini nis*
ratur subtilitas. *tor.*

Quartum, color, nam & secundum colorem uini *Vini co-*
diuersitas in nutritione apparet. Vina enim rubi- *lor.*
cundiora (modo cetera pariter adsint) albis magis
nutriunt, quare macris conuenientiora sunt quam
alba, Alba tamen pinguibus magis conueniunt. Et
de hac diuersitate uini secundum colorem dictum est
suprà cap 8.

Sequuntur deinde quinque specialia boni uini si- *Vinum*
gna. Primum est, fortia. Fortitudo enim uini cognosci *forte.*
tur ex effectu. Vinum enim potens uehementer cele-
riterque corpus calfacit, caputque ferit, inquit Gal. com.
1. lib. 3. de uictu rat. in morbis acut. Maxime enim spi-
ritus multiplicat, & multum nutrit. Abstinentium
tamen ab illo nisi sit dilutum, ijs, qui sunt imbecillio-
ris cerebri, quia magna inde ad cerebrum humorum
copia elata, ipsum facillime læderet. Secundum, for- *Vinum*
mosa, Vinum enim formosum siue pulchrum, cum *formosum*
maiori appetitu sumitur, facilius digeritur, & meli-
us nutrit.

Tertium, fragrantia, Vinum enim fragrans, siue *Vinū fra-*
bene redolens, maxime confortat, & spiritus tenues *grans.*
generat, ut dictum est.

Quartum, frigida, nam uinum quo ad tactum fri- *Frigidum*
gidum esse conuenit, non autem quo ad effectum.
Vinum enim calfactum, cum sit rarius, & subtilius,
citius inebriat, neruos debilitat, & caput lædit, nisi

DE CONSERVANDA

moderate sumptum fuerit. Quintum, Frisca, Vinum Friscum. enim bonum debet esse friscum, siue leue, ut effusum, spumando sonum faciat, ut habeat spumam tenuem, ac facile labilem seu euanescentem in medio: seu quando in eo mouentur atomi. Vinum enim ni fuerit eiusmodi dispositionis, pendulum dicitur, & maxime, si neq; sonet, neq; atomos habeat. Vel debile, seu dilutum, si spumam habeat cum magnis ampullis, uel ad latus scyphi spuma diu haeserit.

DE VINO DULCI ET albo. CAPVT XI.

Corpora multum augent tibi dulcia
candida uina.

Alij sic:

Sunt nutritiua plus dulcia candida uina.

Hoc uersu docetur candida & dulcia uina (si caetera pariter adsint) reliquis magis nutrire. Quod quidem testatur & Constantinus lib. 5. ca. 28. Et Auicenna 3. 1. doct. 2. capit. 8. Vinum quoque inquit, crassum, quod est dulce, est melius illi qui uult esse pinguis. Vina etenim dulcia, propter dulcedinem, cui natura congaudet, uehementer a membris attrahuntur. Dicit enim Auicen. 2. Canon. tractat. 1. capit. 3. Operationes autem dulcis sunt digestio, & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, & natura diligit ipsum, & attractiua uirtus attrahit ipsum. Et licet hic uersus, in omni uino dulci ueritatem habeat, eligibilis

Vinū candidum & dulce.

eligibilis tamen est uinum moderate dulcedinis, quod summum dulcedinis gradum non attingit, ueluti uinum quod uulgo Muscatellinum dicitur: tale enim corrumpit sanguinem, quia naturalis uis epatis illud ex stomacho ad se capit priusquam concoquatur, & maturetur eius superfluitas, unde repletur sanguis aquositate indigesta, & redditur aptus ebullitioni & putrefactioni. Idem intelligendum & de alijs cibus in summo dulcibus.

Insuper sciendum ex usu uini dulcis, aliorumque alimentorum dulcium, tria sequi nocumenta indispositis. Primum est fastidium, quia dulcia caliditate & humiditate sua leniunt, & leuigant orificium stomachi, inducentia illuc dispositionem inanitioni & corrugationi contrariam, quæ sunt causa famis. Secundum, uelocitas inflammationis eorum, & conuersionis in choleram. Nam dulcia choleram pariunt, quare mel præ omnibus alijs choleram generat, est enim dulcissimum: secundum locum obtinet uinum dulce, ut habet Galenus comment. 2. lib. 3. de uictus ratione in morbis acut. Hinc etiam sitim inducit, nec confert febricitantibus, neque cholericis, Galeno ibidem teste.

Tertium oppilatio epatis & splenis. Hæc enim membra dulcia maxima cum delectatione ad sese, uenæ cum fece attrahunt, antequam concoquantur, & maximè epar, unde etiam facillimè obstruuntur crassa substantia, in qua dulcis sapor fundatur, ad hoc

DE AONSERVANDA

precipue cooperante. Autor Auicen. 2. Canon. Tra-
ctatu 1. cap. 3. Hinc sequitur dulce uinum reliquis
minus ciere urinam. Et contra ista tria nocumenta,
plurimum ualent acetosa, quia appetitum acetositas
te sua prouocant, & frigiditate inflammationem pro-
hibent, & subtilitate substantiæ, oppilationes ape-
riunt. Et licet uina, & alia nutrimenta dulcia epar-
ac splenem obstruant, pulmonem tamen ab obstru-
ctione liberant, quia in transitu per meri à dulcibus
nil nisi subtile ad ipsum resudat, & sanguis ex rebus
dulcibus ad pulmonem non penetrat, nisi prius in e-
pate purior & in corde subtilior factus, testis Gale.
comment. 2. lib. 3. de uictus rat. in morb. acut. Vina ia-
tem dulcia minus inebriant secundum Hippocrat. li.
3. de uictus rat. in morbis acut. Can. 2. Vinum inquit,
dulce minus caput, minusq; mentem ferit. Ex dictis
iam omnibus colligitur, unum, si bibatur ut corpus
nutriat, instaret & impinguet, ut in macris siue
per naturam siue ex accidenti, maxime competere
dulce, crassum & sufficienter coloratum. Hoc enim
ualde nutrit, deperditum instaurat & impingat cor-
pus. Quod si uero nullum horum fuerit necessarium,
sicut in obesibus & pingubus, eligenda sunt uina subti-
lia, sapore grato, odorifera, subalbida, & tempera-
tè fortia. Ad sitis quidem extinctionem eligendum est
uinum album, subtile, & imbecillum. Hoc enim ma-
gis humectat & refrigerat, & per consequens, meli-
us extinguit sitim, & quanto sitis maior est, tanto ip-

sum conuenientius est. Ad spirituum uerò & uirtutis confortationem, & reparationem, exhibendum est uinum subtile, odoriferum, saporis delectabilis, mediocris coloris, sufficientis fortitudinis, & hoc cum pauco cibo. Pectoris autem & pulmonis mundificationi, & uentris laxationi, eligendum est uinum mediocris substantiæ, & sapore dulci.

DE VINO RVBRO.

CAPVT XII.

SI uinum rubeum nimium quandoq; bibatur, Venter stipatur, uox limpida turbificatur.

Heic recensentur duo nocumenta nimie potationis uini rubri. Primum, constipatio uentris, quia uinum rubrū uehementius (sic cetera pariter ad sint) calfacit ac nutrit. Quanto enim calidius est, eo magis exiccat, & quanto magis nutrit tanto auidius à natura retinetur. Potest etiam intelligi de nimia potatione uini tubri, stiptici, aut Pontici, unde constipatur uenter. Ad stomachi & uiscerum retentione uirtutis confortationem, eligenda uina crassa, Pontica, uel stiptica, rubra, uel nigra, ueluti in habentibus fluxum uentris, ob debilitatem facultatis retentricis stomachi, teste Hippoc. 3. lib. de uict. rat. in morbis acut. Canon. 7. Fuluum uinum & nigrum, austerum & c. Et ibidem Gal. in comment. Ad confortationem

Vinum
rubrum
nocuum

DE CONSERVANDA

tationem uerò digestiue uirtutis competunt uina subtilia, mediocris substantiæ & coloris, odoris boni, saporis iucundi, & uigoris sufficientis, nonnihil sputicitatis participantia.

Secundum est exasperatio gutturis siue raucedo, quam pariunt uina quædam intense rubedinis, ob siccitatem & terrestritatem, cuiusmodi sunt uina rubra Barbantiæ, & maximè musta: quæ equidem & uentris soluendi uim habent, quia mustum admodum rubrum facere solet uentris fluxum propter feces terrestres cum eo mixtas, quæ sua armonia mordicant intestina, unde caussatur fluxus uentris. Quare bibendum non est, nisi cum ad plenum deferbuerit. Quoniam uerò ipsum mordicat, ab eo etiam resoluitur fumus mordicans, qui ad cerebrum elatus, oculos corrodit, ac rubefacit. Causa autem cur fumus ille mordicet, est, quia uinum, unde dissoluitur, est mordificatiuum. Nam, ut Galenus inquit commenta. 14. lib. 1. Aphor. Oportet similem esse defluxum subiectæ substantiæ, ut quando humida atq; aërea substantia existit, tunc quod ab ea defluit, uaporosum est atq; suaue. Cùm uerò terrestris atq; arida, tunc & quod effluit, fuliginosum est & acre.

CONTRA VENENVM.

CAPVT XIII.

Allia, ruta, pyra, & raphanus, cum Theriaca nux:

Hæc sunt antidorum contra mortale uenenum.

Hic

Hic referuntur sex antidota contra uenenum,
 Primum, Allium, quod efficacissimum est contra
 omne ueneni genus, & præcipuè contra potum ma-
 lae aquae, teste Serapione cap. 321. de temperamentis
 simplicium. Allium inquit, quando præsumitur,
 & post bibitur aqua corrupta, incognita, non nocet
 potanti. Idem innuit Auicenna 2. Can. cap. 75. Et
 3. 1. Doctr. 5. cap. 7. Similem etiam facultatem ob-
 tinet cepe. Auicenn. 2. Canon. cap. 123. Quare potest
 comprehendì sub allio, de eo etiam dicit Auicenna
 3. 1. Doctr. 5. cap. 7. Quòd sit ut Theriaca mala-
 rum aquarum, & maximè cum aceto, quia cepe est
 subtiliatuum, incisuum, & abstersiuum cum stipti-
 citate, & aperit fortiter, teste Auicenn. 2. Canon.
 cap. 123. Calidum est in tertio, Quare calfacit, ma-
 las aquas prohibens, ne sua frigiditate stomacho no-
 cumentum inferant, & crassas extenuat, ut citius
 penetrent. Acetum huic permixtum uirtutem eius
 in extenuatione & penetratione aquarum auget, &
 à siti, quam cepe comestum inducere solet, præseruat.
 Eadem de allio ratio est. Quare Auicenna 3. 1. Doctr.
 5. cap. 7. præcipit allia comedere super aquas cras-
 sas & turbidas, quia extenuant eas, ut citò descen-
 dant, & prohibent ne stomacho & intestinis offici-
 ant, neq; uenas obstruant. Allium præterea si ante &
 post iteris ingressum comedatur, contra occurren-
 tis aëris frigiditatem prodest. Auicenn. 3. 1. Doctr. 5.
 cap. 4. Vnde sequitur, quòd plurimum conducatur,
 per

DE CONSERVANDA

per diuersas terras oberrantibus, uariog; potu utentibus, iuxta uersiculos Macri.

Allia qui mane ieiuno sumpserit ore,
Hunc ignotarum non la det potus aquarum,
Nec diuersorum mutatio facta locorum.

Allium præterea contra uiperarum ictus, & priuatim hæmorrhoi prodest, ita ut non aliud magis, si cum uino iugiter adsumatur, aut tritum in eodem ebibatur. Contra rabiosorum morsus & illitu & cibo ualet, teste Diosco. Auicenna uerò lib. 2. Tract. 2. cap. 75. Confert inquit, puncturæ uermium uenenosorum, & morsui serpentum, quando bibitur cum uino: & nos quidem iam experti sumus. Et similiter **Cepe.** morsui canis rabidi. Cepe quoq; iuxta Auic. 2. Can. cap. 123. confert morsui canis radibi, cum linitur super ipsum aqua eius, aut emplastratur ex eo, cum sale & ruta. Et cepe, quod comeditur expellit nocuum mentum uentositatis uenenosorum. Et dixerunt quidam, quòd ipsum generat in stomacho humorè humidū plurimum frangentē nocuum mentum uenenosorum.

Notandum tamen, allium, cepe, & porrum, in cibo non competere, neq; temperatis, nec calidis corporibus, & imprimis cruda: Parum enim & malè nutriunt, sanguinem generant acrem & pungituum, crassos tamen humores extenuant, & uiscosos incidunt: decocta uerò, pungendi quidem uim exuunt, incidendi tamen & extenuandi retinent. Vnde cocta magis competunt quàm cruda. Porrum calidum est

& siccum, noxium succum creat, oculorum aciem hebetat, & sanguinem nigrum & melancholicum generat, somnum tumultuosum parit, nervos pungendi uiledit, nocet dentib. & gingine. Cholericis itaq; & melancholicis est uitandū, maximè crudum. Cepæ calidæ sunt, habentq; caliditatem superflue terrestrē, cum humiditate aquosa, tenui & cruda. Si comedantur crudæ, generant in stomacho humores malos, putridos, & corruptibiles. Inducūt somnia mala, & terribilia, largiore cibo, capitis dolores ciēt lethargicos & phreneticos, memoriam & intellectū perturbant. Sed si comedantur coctæ cū iusculo electæ carnis, promouent digestionem, & minus officium, temperantq; cibos frigidos, cum quib. coquuntur. Sed melius est ab eis abstinere. Allium calidum est, nonnihil humiditatis participans, minus tamen quàm cepe. Valet contra inflationes, ueterem tussim, screa:um prouocat, aciem oculorum hebetat, capitis dolorem facit, de quo Gal. lib. 12. ca. ultimo Therapeu. Method. Est enim inquit, profectò allium ex eorum ciborum genere, qui & flatum discutiant, & minimè sitim inferant. Sunt qui parum id experti, existiment maiorem quàm cepe sitim excitare: sed plane errore, quum non modò non maiorem quàm cepe, sed nec omnino sitim faciat. Idem omnium planè eduliorum maximè flatum discutit. Itaq; ipse certè agrestium theriacam id appello. Conueniunt autem hæc tria phlegmaticis tantum, & crassum, uiscosumq; humorem habentib. Cholericis planè uitanda.

Secun-

DE CONSERVANDA

Ruta. Secundum, Ruta, de qua Diosco. lib.3. cap.43. Ruta letalium medicamentorum antidotum est, si semen ex uino acetabuli mensura ebibatur. Folia per se praesumpta, aut cum nuce iuglandae, aridisq; ficis, inefficaces uenenorum uires reddunt: contra serpentes simili modo sumere conuenit. Eadem repetit Auicenna. Tractatu 2. capite 578. Aristoteles libro 9. capite. 6. de historia animalium, tradit mustelam dimicatorum cum serpente, rutam comedere, odor enim eius infestus serpentibus est. Ruta quoq; cum ficibus & amygdalis dulcibus mane sumpta, à ueneno praeseruat. Ruta porro duplex est: quaedam enim satiuia & domestica, quaedam uerò montana & syluestris. Domestica & syluestris melior est: quia syluestris calida & sicca est in quarto ordine, quare in cibis damnatur. Domestica, calida in secundo, sicca in tertio. Crassos lentosq; humores digerit atq; incidit, flatuq; resoluit & extinguit. Serapion cap. 290. de simplici. Ruta est de rebus magis conferentibus inflationibus, id est, uentositatibus, sed in humida est inflatio. Ruta item uehementer uisum acuit, & propriè succus eius, cum succo foeniculi & melle facto collyrio, ante comesta, ut dicit Auicenna. loco citato. At quia in succo eius quaedam est acrimonia oculis infesta, uemilando applicari debet, ut uapor tantum & substantia eius oculos pertingat.

Pyra. Tertium, pyra, de quibus Auicenna 2. Can. Tract. 2. cap. 550. dicit, quòd sint cura fungorum mortificantium.

Ēantium. Dioscor. lib. 1. cap. 132. Aiunt fungos, si syl-
uestria pyra cum eis coquantur, innoxios fieri. Idem
intelligi potest de pyris aromaticis, quæ spiritus con-
fortant, & ueneni nocumentum repellunt.

Quartum raphanus, de quo Auicenna 2. Canon. Rhabha-
Tract. 2. cap. 581. Confert inquit, morsui uiperæ, & nus,
cum uino morsui cornutæ etiam. Et semen eius con-
fert uenenis, & uermibus uenenosis: & si ponatur
frustum eius super scorpionem, moritur: & aqua
eius est experta in hoc, & est fortior: & si momor-
derit aliquem scorpio, qui raphanum comederit, non
nocebit ei. Et his fungi strangulantur, tã cibo quã
potu salutaris est. Valet etiam contra uenenum, quia
uomitiones mouet, per quas stomachus purgatur. Ra-
phanus, sanguinem acrem & pungitiuũ gignit, ac pro-
inde biliosis obest, Stomacho aduersatur, ructus ciet,
humoresq; crassos & lentos generat: & si uirtus con-
coctrix debilis fuerit, crudum. Facultas ei inest exte-
nuandi & incidendi.

Quidam raphani radices à coena crudas ingerunt,
quo iuuent scilicet concoctione, De quo miratur Gal.
libro 2. de alimentor. facul. cap. penultimo. Aiunt
namq; inquit, id se ipsa experientia abunde comper-
tum habere, nullus tamen eos citra damnum potu-
it imitari. Quibusdam tamen placet, summo cibo
sumptos, concoctionem iuuare, & uentrem laxare.
Quum autem præsumuntur, cibum suspendunt, qua-
re uomituris, commodissimè dantur ante cibum:

DE CONSERVANDA

Summo tamen cibo, si cum sale & aceto parua quantitate sumantur, bonum est. Oculis nocent & capiti, Rhazes lib. 3. ad Mansorem, cap. 18. Rhabbanus, inquit, calidus est & crassus, qui in stomacho longam faciens moram, phlegma incidit, atq; cibum ad os eleuat stomachi, uomitum quoq; commouet, cuius folia cibum digerunt, & appetitiuam adiuuant, quando ex eis parum sumitur.

Therica. Quintum est Theriace, quæ tota sua substantia, tam brutis quàm ratione præditis animalibus contra uenena & calida & frigida opitulatur. Sub hac comprehenditur potest & Mithridatium, consimilis serè efficaciam. De Theriaca Auic. 6. 4 Tract. 3. cap. 1. Scias quòd Canon maximus in curatione ueneni, est confortatio caloris innati, & excitatio ipsius ad expellendum, sicut facit Theriace. De Theriace uerò & Mithridatio simul, idem 6. 4. Tractatu 1. cap. 5. Sunt inquit, medicinae contrariæ ueneno, quare non permittunt ipsum peruenire ad cor, & sunt sicut Theriaca & Mithridatium.

Mithridatium.

Nuces.

Sextum, nux. Auicenna 2. Canon. cap. 505. Nux cum ficibus & ruta, est medicina omnibus uenenis, & ex ea cum cepe & sale, fit emplastrum super morsum canis rabidi. Et hoc maxime intelligitur de nucis sicca, ante cibum sumpta. Sciendum uerò nucis siccas recentibus & humidis esse peiores, magis enim unctuosæ sunt, & citò in choleram conuertuntur: capitis dolorem inferunt, oculos turbant, uertiginem generant,

generant, præcipuè à cibo sumptæ: linguæ paraly-
sin inducunt, uonituris ieiunis in cibo aptæ. Habentibus autem stomachum biliosum inimicæ, uescias in ore faciunt. Recentes stomacho innocetiores sunt, ut pote suauiores, & minoris unctuositatis. Ratione tamen humiditatis, uentrem laxant, & si testæ ultimo loco edantur, præsumptum cibum comprimunt.

DE AERE. CAPVT XIII.



DE CONSERVANDA

Lucidus & mundus sit rite habitabilis aër.

Infectus neq; fit, nec olens foetore cloacæ.

Aëris electio. Hæc quatuor traduntur notæ optimi & habitabilis aëris. Prima, ut sit purus, id est, non infectus à uaporibus, quia impurus alterat cor, secundum complexionem illius quod ei commiscetur. Sicut innuit Hali, com. 16. lib. 3. Galeni artis medicinalis. Secunda, ut sit luminosus. Aër enim turbidus, cor fori tristitiã & pigritiam infert, quia commiscet humores, & turbidus ad cor penetrat, unde generantur spiritus turbidi, & crassi, animam contristantes, & pigritiam inducentes. Nihil ergo magis iucundum ac hilarem reddit hominem, minusq; grauat quàm si claro aëre ambulet, uel mane surgat. Tertia, ne sit infectus, cuiusmodi est in locis cadauerum non crematorum, multitudine refertis, quemadmodum in prælijs contingere solet: & hunc pestis ferè subsequitur, inspiratus enim in corpore spiritus inficit. Quarta, ne foetorem habeat cloacæ, & sub hoc comprehendunt infectiones particulares aëris, ut latrinarum, fouearum culinae, & locorum in quos cadauera conuehuntur, & ossa mortuorum, aut lacuum seu paludum, in quibus linum uel cannabis putrescit. Talis enim spiritus nostros inficit, ac maximam cerebro noxam suggerit. Hinc Auicenna 2. 1. Doctr. 2. Et aër quidem, dum est temperatus, & clarus, neq;

substan-

Substantia extranea, complexioni spiritus contraria, ei admiscetur, & sanitatem efficiens, & ipsam conseruans, & cum mutatur contrarium sue operationis operatur.

Verum quò prædictorum exactior noticia habeatur, sciendum est, aërem pro ualitudine tuenda, duobus modis esse necessarium. Primo quidem ob refrigerationem cordis. Secundo uerò, ob expulsionem fumosarum superfluitatum, spiritum & calorem innatum molestantium. Quemadmodum enim uidemus ignem externum uentilatione aëris suffocari & extinguui, ita etiam de spiritu & calore innato imaginandum est, indigent enim aëre nutricie, conseruante, & temperante. Temperatio ergo caloris innati fit per aëris attractionem, & depuratio, per aëris expulsionem. Primum quidem per motum attractionis, alterum uerò per motum expulsionis. Si ergo aër attractus, fuerit foetidus & impurus, corrumpitur calor & spiritus innatus.

Quare eligendus est purus, ac liber, qui ex terra plana uel edita uentorum perflatu undiq; lustretur, optime essentiae, & cui nihil uaporis seu halitus alie ni admisceatur, neq; sit turbidus, nec nebulosus. Hic enim humores conturbat, & animam, ut dictum est, contristat. Nec editis montibus in ualle inclusus, qui nullum perflatum recipiat, hic enim suffocans putris q; est, similis qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem & per flatus defectum, plu-

DE CONSERVANDA

rimus aceruatur squalor ac situs. Proinde omnibus
ætatibus noxius est & euitandus, Quemadmodum
& quilibet inclusus. Hæc ferè Gal. lib. 1. de sanitate
tuenda.

Tempore tamen epidemiæ, ob generaliore[m] aëris
putrefactionem inclusus conuenientior est, unde id
temporis domi manere, ac fenestras concludere præ
stat, ne qua putridus aër inspiret. Alias liberior aër
magis eligendus. Buitandus præterea in conseruan
da ualitudine aër, cui commiscetur halitus stagni,
& paludis, ac specus profundi, pestilentē auram spi
rantes, & qui ex animalium, olerum, truca, cepa
rum & similibus, arborum malarum uiscositatum,
quales ficus & nuces, & legumnum putredine aut
fimo coinquinatur. Cauendum etiam ne in aliqua pri
marum qualitatum excedat, scilicet, caliditate, frigi
ditate, humiditate, & siccitate: id quod arte nostra
moliemur, sicut docet Auic. 2. 1. Doctr. 2. cap. 5. & 6.

DE NIMIA POTATIONE

uini. CAPVT XV.

SI nocturna tibi noceat potatio uini,
Hoc matutina rebibas, & erit medie
cina.

> Ecphrasis.

Heic ponitur præceptum de ijs, qui mane ex pri
uana uini potatione ægrotant, nimirum ut idem ma
ne rebibant. Potatio autem uini nocturna, potest in
ducere



ducere uel ebrietatem, uel sitim matutinam, uel tri-
 niām corporis calfactionem. Si induerit nimiā cal-
 factionem, maximus error est, id mane repetere: nam
 perinde hoc esset, ac si ignem igni adderes. Si ebrie-
 tatem cum quadam nausea, bonum est mane repetee-
 re: inde enim facile uomitus prouocatur, quem se-
 quitur expurgatio stomachi, qua facta, tollitur &
 nocuum eum ebrietatis, & nausea. Quare consulti
 Hippoc. semel in mense inebriari, ut ex ebrietate pro-
 uocetur uomitus, hic enim maximè ab egritudinibus
 Chronicis, id est, longis & malis præseruat. Si quis
 ex nocturna uini potatione, propterea quòd bibere
 illud non consueuerit, oblaeditur, huic & mane, quò
 adsuescat, idem bibere concedatur, & ita ex uini
 sumptione minorem lesionem sentiet. A consueto
 enim minor fit lesio, test Hippo. lib. 2. Aphor. 5. Si uo-
 rò potationem uini nocturnam sequatur sitis matu-
 tina, illa mendosa est, & curatur quidem pota-

DE CONSERVANDA

**Ebrietas
incom
moda.**

latione uini, sed magis tamen aque. Homini debilis cerebri & cuiuscunq; alterius conditionis, summo pe re cauendum est à frequenti ebrietate.

Frequens siquidem ebrietas, inquit Auicenna 3. 1. Doctr. 2. cap. 8. inducit sex incommoda in corpus hu manum. Primum est corruptio complexionis epatis, quia uinum immodicè sumptum, calorem eius resol uit, unde amittit uirtutem sanguificam, & loco san guinis generat aquositates, efficiētes hydropisin. Vel incendit epar, & humores eius, unde generatur le pra, uel mania. Secundum est corruptio complexio nis cerebri, ob assiduam cleuationem fumorum uini, disponentium cerebrum, calidum quidem mania & phrenesi, frigidum uerò epilepsia, lethargo, apople xia, & subeth. Tertium est debilitas neruorum, uide mus enim bibulos, & frequenter inebriari solitos, caa put & membra tremere, non in senio tantum, sed eti am in senectute, & iuuentute quandoq;. Quartum, aegritudo neruorū, sicut spasmus, & paralysis: quia uinum immodicè haustum, sepius in stomacho acescit, unde ualde leduntur nerui. Sape etiam ex defectu digestionis in aquositates crudas conuertitur, quae neruos remolliunt, & sepe humoribus crassis neruos obducit, unde distenduntur uel contrahuntur. Quintum est apoplexia propter humiditates cerebri à uino multiplicatas, ita ut omnino uias spirituum anima lium à cerebro in membra obstruant. Sextū est mors subitanea, cum scilicet stertendo & dormiendo, uia

anhq.

anhelitus multitudine uini uel humiditatum inde generatarum, clauduntur, & ebrius suffocatur.

Vinum tamen, si modicè bibatur, plurimum confert. Auicen. loco citato, quinque eius recenset commoda. Primum est, quòd caloris sui subtilitate & conuenienti atque occulta proprietate, facilem efficiat cibi penetrationem, cui commiscetur, in omnia mēbra.

Secundum est, quòd phlegma substantiæ suæ calore & subtilitate incidat atque resoluat, meatus aperiat, & naturam ad excreationem incitet.

Tertium est, quòd choleram rubeam per urinam, sudorem, excrementa, & resolutionem insensibilem expellat; & hoc de uino albo, uel subrubeo, tenui, natura debili uel diluto, intelligendum est. Aliàs enim ex nimia epatis calfactione, ipsum in choleram commutaretur potius, alioquin multiplicaret choleram per conuersionem ipsius in eam. Quartum, quòd melancholiam, quæ crassa est, & tardi motus, facile per proprios meatus ab epate ad splenem, & à splene ad os stomachi deducat, & eandem unà cum fecib. è corpore expellat, & melancholiæ nocumentum, ob contrariam substantiã, complexionem, & effectus, reprimat, ac tollat. Melancholia enim tristitiam, pusillanimitatem & auaritiam parit. Vinum uerò gaudium, audaciã, magnanimitatē, & liberalitatē. Quintum, quòd omnes modos seu species lassitudinis, nisi multa caliditas extranea fuerit coniuncta, resoluat, Vinum enim resolutos spiritus abundè reparat, uirtus

DE CONSERVANDA

tem confortat, humiditates relictas in musculis, nervis, & chordis, & iuncturis, tollit, aut minuit. In lassitudine si opus fuerit uinum uelociter humectat, modo diluatur.

Præbet præterea & plurima alia commoda. Omnium enim uelocissime nutrit calorem, & spiritum naturalem confortat, totum corpus calfacit, ingenium acuit, iram extinguit, tristitiam remouet, libidinem incitat, semicrudos humores digerit. Et ut unico uerbo rem totam perstringam, Vinum reddit hominem & anima & corpore uirilem, unde abstemij (cæteris paribus) effœminati uidentur.

DE MELIORE VINO.

CAPVT XVI.

Gignit & humores melius uinum meliores.

Si fuerit nigrum, corpus reddet tibi pigrum.

Vinum fit clarum quæ uetus, subtile, maturum.

Ac bene dilutum, saliens, moderamine sumptum.

Hic docetur in primis ex meliore uino meliores humores generari: quanto enim materia præstantior est, tanto etiam præstantiores inde humores gigni par est. Deinde, quod uinum nigrum pigritiam corpori inferat, quia reliquis crassius est, & plus terre

naturæ

natura in se continens, quare & spiritus inde geniti sunt crassiores, auctore Galen. com. 14. lib. 1. Aphor. Oportet, inquit, similem esse defluxum subiectæ substantiæ, ut quando humida atq; aëria substantia existit, tunc quod ab ea defluit, uaporosum est, atq; suaue. Cum uerò terrestris atq; arida, tunc & quod effluit, fuliginosum est, & acre. Tertio loco, referuntur septem præcepta, de electione uini. Primum, ut eligatur uinum clarum, hoc enim quia subtile, spiritus subtiles & claros generat. Secundum, ut sit uetus, nouum enim siue mustum (cæteris paribus) facilius inebriat, fluxum uentris prouocat, atq; colicam, quæ accidentia dicentur infra cap. 26. Nec est intelligendum ut omnino sit uetus, tale enim, Auenenna 3. 1. doct. 2. cap. 8. teste, est quasi medicina & pauci nutrimenti, id est, magis inest ei uirtus alteratiua corporis ad caliditatem & siccitatem, quia repurgatum est à fecce & uiriditate quam prius habuit, & multo quàm ante calidius. Scribit Galen. lib. 8. simplicium medica. Vinum ex secundo est ordine ex calfacientiũ, sed quod admodum uetus est, ex tertio. Tertium est, ut sit subtile, subtile enim multos & subtiles spiritus procreat: crassum uerò, crassos. Quartum, ut sit maturum, non stypticum, Stypticum enim abscondit omnes species euacuationis, ut inquit Galen. com. 8. lib. 3. de morbis acut. Austerum, inquit, uinum, excretiones omnes cohibet, Quare nocet corporibus quibus per urinas expurgari est opus.

Vinum
uetus.

& ledi

DE CONSERVANDA

Dilutum,
 & lædit omnia superiora. Infirmis tamen intestinorum utile est, Galen. ibi. Remouetur autem stipticitas, si aqua temperatum fuerit. Gal. ibi. Quintum, ut sit dilutum, per hoc enim remittit fumositatem suam, & minus inebriat. Et hoc ueritatem habet in uino subtili. Crassum enim si diluatur, citius inebriat, ita namq; subtiliatur, magisq; fumosum redditur, de quo Auic. intellexit 3. 1. doct. 2. cap. 8. cum ait: Mixtum uelocius inebriat. Sextum, ut infusum quasi subsiliat, & est de conditionibus boni uini, de quibus supra cap. 10. Septimum, ut modicè sumatur, Vinum enim modicè sumptum, acuit ingenium. Ex omnibus iam dictis colligitur, pro conseruanda bona ualitudine, eligendum esse uinum, quod sit medium inter uetus & nouum, clarum, nonnihil rubedinis participans, odoriferum, & equalis saporis, nec acre, nec acutum, neq; dulce, nec fumosum, neq; crassum nimis, siue subtile, sed ad subtilitatem declinans: natū in colle aperto, Meridiem spectante, regione inter caliditatem ac frigiditatem temperata. Hæc serè Auic. loco citato.

Vergil. 2. Georg. Apertos Bacehus amat colles.
 Circa uini usum, secundum ætates, notandæ sunt tres regulæ, quas ponit Auic. ibi. Prima est, ne pueris detur uinū in potu, id enim perinde esset ac si ignem igni addas in lignis debilibus. Quippe, quod haustum & humectat nimium, & calfacit corpus, tum caput halitu replet, ijs qui humido calidoq; temperamento sunt, quale est eiusmodi puerorum. Atqui nec repleri his caput est utile, nec ipsos supra quàm par est, humidos,

uidos, calidosq; fieri: Quoniam eo iam e aloris hu-
 morisq; peruenerunt, ut si paululum utramuis qua-
 litatem auxeris, iam modum excefferint. Secunda
 est, ut seni detur, quantum tolerare potest, & ap-
 petit appetitu naturali. Quemadmodum enim
 ocree ueteres aride, & corrugate oleo, ita corpo-
 ra senum uino electo reficiuntur, ac renouantur. Se-
 nibus enim cum frigidi sint, unum illud maximū com-
 modum ex uino accedit, quod omnia eorum membra *Vinum est*
 calfaciat, tristitiam & melancholiam, quibus abun- *lac senū.*
 dant, expellat, & soporem, quo serè destituuntur, redu-
 cat. Obstructiones etiam, quibus ijdem obnoxij sunt,
 tollat. Sanè uinum sicuti pueris est alienissimum, ita
 senibus aptissimum est.

Tertia, ut iuuenibus exhibeatur temperatè. Nam
 ut Galenus inquit, lib. 1. de sanit. tuenda. Neque iam
 adultis uinum, nisi modicè sumptum, existimandum est
 utile esse, quod uidelicet & ad iram & libidinem
 præcipites faciat, & partē animi rationalem hebetè
 turbidamq; reddat, si modum excefferit. His ipsis tas-
 men, ad bilis excrementa uel mitigenda, uel expellen-
 da, est sanè non inutile, corpus corroborat, & ingeni-
 um ob subtilium & tenuium spirituum abundantiam
 exacuit.

DE CEREVISIA. CAP. XVII.

NON sit acetosa hæc cereuisia, sed
 bene clara,

De ualidis sit cœcta granis, satis ac uete-
 rata, His

DE CONSERVANDA



Hic traduntur quinque signa, de eligenda ceru-
 sia. Primum, ut non sit acetosa, hæc enim stomacho
 inimica est. Acetum namq; ut Auicenna tradit, ner-
 uis officit, Stomachus autem membrum est ualde
 neruosum, ergo &c. Secundum, ut sit clara, quia
 turbida obstruit urinarum meatus: Proinde & cal-
 culosis plurimum nocet, impinguat, flatu gignit, an-
 helitum abbreviat, & phlegmata multiplicat.
 Tertium, ut sit cocta ex bonis & ualidis granis, non
 corruptis, ex optimo scilicet hordeo, tritico, sine
 auena: quanto enim grana meliora sunt, tanto &
 melior humor inde generatur. Quartum, ut sit be-
 ne cocta, hæc enim cum melius digeritur, tum nature
 conuenientior existit. Malè uerò cocta, uentris tor-
 mina, inflationes, & colicam passionem gignit. Quin-
 tum, ut sit uetus, & à fecibus repurgata. Recens enim
 ijsdem malis obnoxia est, quibus malè cocta: prate-
 rea & stranguriam facit.

DE NIMIA POTATIONE

Cereuisiæ. CAP. XVIII.

DE qua potetur stomachus non inde grauetur.

Hic unicum habetur præceptum de usu cereuisiæ, ut scilicet modicè sumatur, neq; inde stomachus pregrauetur, uel ebrietas concilietur. Ebrietas enim ex cereuisia deterior est, quàm ex uino, & diuturnior. Fumi namq; & uapores crassiores ad caput ex cereuisia eleuantur quàm uino, quare & tardius resoluuntur. Et sciendum est, prándium uel coenam, (si modò cætera pariter adsint) utilius à cereuisia quàm uino inchoari, quia in principio mensæ, stomachus famelicus est, & superfluitates auidissimè à mēbris ad se attrahit. Si ergo in principio mensæ datur unum, quo natura maximè delectatur, eo quòd plurimum nutriat, superfluitates illæ à stomacho attractæ, unà cum uino ad partes corporis traherentur, Minus autem auidè attrahit cereuisiam. Cereuisia humores item orificio stomachi adhærentes abluuit, quare Medici consulunt, ut in maxima fame, prius uomitus prouocetur, quàm cibus sumatur, ut superfluitates illæ à stomacho famelico attractæ, euacuentur: neq; cum chylo commisceantur. Similiter qui ex nimia uini potatione sinit, cereuisiam bibat, Hæc enim sitim mendosam tollit.

DE

DE CONSERVANDA
DE TEMPORIBVS ANNI.
CAPVT XIX.

Ver.

Aestas.



Autumnus.

Hycins



Temporibus ueris modicum pran-
dere iuberis.

Sed calor æstatis dapibus nocet immo-
deratis.

Autumni fructus caueas, ne sint tibi lu-
ctus.

De

De mensa sume quantum uis tempore
brumæ.

Hic agitur de cibi mensura secundum anni tempore
ra conuenienti, Et primo de Vere. Vere si quidem
modicè prandendum est, paululum cibo demendum,
adijciendumque potioni. Auicenna 2. 1. Doctr.
cap. 6. Ratio, Quia tempore hyemis propter eius
gulositatem & exercitij paruitatem, & resolutio-
nis prohibitionem, humores crudi, & maximè phleg-
matici ex temporis proportione generati in interio-
ribus corporis, ob ambientis aëris frigiditatem, siue
ὄντιπρὸς ἐπίσασιν coadunantur. Ver autem super-
ueniens illos eliquat, & diffundit per totum cor-
pus, quare natura per id tempus plurimum circa illo-
rum digestionem occupata est. Si itaque in uere da-
retur magna cibi mensura, natura à digestionem præ-
dictorum humorum impedita diuerteretur: utpote,
per humores, & magnam ciborum copiam, plus æ-
quo grauata, unde humores in corpore crudi &
indigesti relictī facilimè membrum aliquod inuaden-
tes ægritudinem inducerent. Quare summopere coi-
nandum est, ut id temporis cibo nonnihil dematur.
Diminutio enim ciborum maximè præseruat ab ægri-
tudinibus ueris, teste Auicenna ibidem. Et hoc qui-
dem de adulto & extremo uere intelligendum. No-
uum enim Ver Hyemi adsimilatur, unde & hye-
mis ritu per id tempus, cibus administrandus est.
Intelligendum item de corpore humoribus phleg-

DE CONSERVANDA

maticis & crudis repleto. Corpori enim temperato in humoribus cibus exhibendis iuxta mensuram caloris innati, & resolutionem quæ fit à corpore: ablata enim causa est diminutionis cibi. Vnde Hippoc. Aphor. 15. lib. 1. Ventres Hyeme & Vere, natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimentis.

**Aestatis
cibus.**

Secundo, de Aestate, quòd nimia cibi sumptio in aestate noceat. Virtus enim digestiua tum debilis est: spiritus enim & calor innatus, instrumenta uirtutum debilitantur, minusq; ob caloris externi excessum, & attractionem ad exteriora resoluuntur, unde multum cibum digerere nequeunt. Sciendum tamen, propter uehementiam resolutionis humiditatũ, tam substantialium, quàm nutrimentalium corporis, æstiuo tempore crassiorem ac maiorem cibum exhibendum esse, si uirtus digestionis sufficeret. Verum cum non sufficiat, uno eodemque tempore multum digerere cibum, parum sæpeque de eo exhibendum est, iuxta illud Galen. com. 17. lib. 1. Aphor. Aestiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt, quoniam & pluri egent adiectione, ut qui sunt dissoluti, & uires habent imbecilles. Et licet aestate cibo nonnihil demendum sit, potioni tamen adijciendum est: tum enim maxima fit resolutio & exiccatio corporis, calor etiam humidum

humidum longè exuperat, unde & sitis maior exoritur. Elixis itaq; utendum, cibusq; frigidis ac potione tum multatum diluta. Vinum autem uinosum & prurum euitandum, ut quòd facile inflammetur, & uolento aestu uehementem calorem incendat.

Tertio de Autumno, ut scilicet per Autumnum ^{Autumni} à fructibus autumnalibus, uuis scilicet, Persicis, Ficus ^{cibi,} bus, & similibus absteineatur, uel modicè saltem de ijs edatur: generant enim sanguinem putrefactioni accommodum, ob ebullitionem, quam in corpore & humoribus faciunt, & maximè in stomacho immundo in autumno sæpius accidere solet, unde male sequuntur egritudines, nimirum uariolæ, morbilli, & pestilentia. Pro maiori notitia uictus salubris per autumnum, cauendum est, ne famem & sitim patiantur, uel cibo una hora repleantur, ut præcipit Rhazes 4. ad Mansorem cap. 26. de regimine corporis, secundum anni tempora. Vinum autem quod bibitur sit paulo liberius dilutum, neq; tamen immodicè, ut corpus humectet, & calorem reprimat: minus etiam quàm in æstate bibendum, ne natura per id tempus debilitata, digerere renuat, & calor obtusus, uentositates & colicam generet.

Quarto de hyeme. Tempore siquidem hyemali ^{Hyemis} tantum edendum quantum uolumus, id est, plus quàm ^{cibi par et} cæteris temporibus, teste Auicenna Phen. 2. 1. Doctr. 2. cap. 6. Et Galeno, in com. 17. libro. 1. Aphoris. Hyberno inquit tempore multa quidem danda sunt

DE CONSERVANDA

propter robur uirium, sed raro, quia non ualde multa indigent adiectione laborantes, ut quibus non multa fiat euacuatio. Et ratio est, quia calor innatus hyeme intensior est, tum quia unitus, tum quia fortificatus. *Νία τήν άντιθεση ας υ, id est, iuxta positionem sui contrarij, uidelicet, frigidi aeris corpora circumdantis, quod ueritatem habet in robustis & corpulentis, & non in raris ac debilibus.* In huiusmodi enim corporibus intensum hyemis frigus non modo non confortat calorem, sed magis debilitat. Et hoc innuit Hippoc. Aphorif. 15. lib. 1. Ventres hyeme & uere, natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim hinc calor innatus plurimus est, unde pluribus egent alimentis, quae quidem & crassiora, ac difficilioris digestionis exhibere licet, quia calor intentior est. Vino autem utendum est meraciore & rubicundiore. Notandum tamen, quod licet consideratione habita ad fortitudinem caloris & uirtutis digestiuae in hyeme, crassiores & densiores cibi conueniant: attamen quia corpora per id tempus ob phlegmatis abundantiam facillime replentur & obstruuntur, & parua à conimento fit resolutio: tutius est uti cibus inter solidum, & rarum medijs, sicuti caro haedina, uitulina, mutonis, lacij, percarum & cancrorum. Crassioribus uero, ut bouina, porcina, ceruina, concharum, ostrearum, carponum, & similium, abstinentum, aut una saltem

comes

comestione utendum, adhibitis sæpius rebus apertivis & diureticis, ut Petroselino, Nasturtio, Apio, & exercitio forti.

DE POTV PRAVO COR-
rigendo. CAT. XX.

Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula
tuta,

Adde rosæ florem, minuuntq; potenter
amorem.

Traduntur hoc loco duo remedia de pravo potu corrigendo. Primum est Salvia, cuius folia potui *Salvia.* imposita prauitatem eius ex proprietate corrigunt. Habent etiam in se uirtutem confortandi neruos & cerebrum, quibus confortatis melius resistitur malis fumis, ex pravo potu prouenientibus. Secundum est Ruta, cuius integra folia absq; conuisione potui imposita, caliditate & proprietate sua corrigunt malitiam eius: De Ruta quomodo contra uenena ualeat, dictum est cap. 13. Sequitur deinde in ultimo uersu, *Ruta.* quòd his duobus addi possit flos rosæ. Et hoc maximè intelligendum de rosa rubea, quæ fragrantia sua, & styptico sapore, potus malitiam tollit.

DE NAVSEA MARINA.
CAPVT XX.

Nausea non poterit hæc quem ue-
xare, marina.

Vndam cum uino mixtam qui sumpse-
rit antè,

DE CONSERVANDA



Hic traditur remedium nauſeæ, ſiue uomitus ex
 marina traiectione proueniens in non conſuetis,
 ut ſcilicet traiecturi priusquam nauem conſcendant,
 dies aliquot uino ſuo aquam marinam miſceant, ſi
 diuites fuerint: Sin uerò pauperes, aquam marinam
 abſq; ulla mxtione bibant. Ita enim nauſeam nul-
 lo negotio euitabunt, quia aqua marina, ſalſedine
 & ſtypticitate ſua, oriſcium uentriculi claudit, un-
 de uomitus impeditur. Et notandum, Auicen. Phen.
 3. 1. doct. 5. cap. 8. teſte, Vectorem marinum à
 principio non debere retinere, ſiue reprimere nau-
 ſeam.

scam, uel uomitum, sed dimittere donec bene purgatus fuerit, hoc enim à multis ægritudinibus non solum præseruat, uerum etiam curat, uel alleuiat uehementes, & magnas ægritudines, ut lepram, hydropisum, apoplexiã, frigiditatem, & inflationem stomachi, ut docet Auicenna. idem. Si tamen, inquit, uomitus uetoris in mari superfluus fuerit, sic ut uehementer debilitetur, restringendus est comestione fructuum stypticorum & acetosorum, ueluti sunt cotonea, maciana, & granata. His enim orificium stomachi confortatum humores deprimit, Stomachus etiam confortatus, humores ad se undarum ex agitatione affluentes repellit. Apij item semen torrefactum, & cum uino potum, confert, Vel Absinthium potum, siue comestum. Panis etiam assatus & in uino odorifero maceratus si edatur prodest. In summa, tota uictus ratio sit ex acetosis, stomachum confortantibus, & prohibentibus ascensum uaporum & humorum ad caput, ut lentes coctæ in aceto, uel succo uuæ acerbæ.

Vapores
stomachi
prohibe
bentia.

DE GENERALI CONDI-
mento. CAP. XXII.

Saluia, Sal, Vinum, Piper, Allia, Petroselinum.

Ex his fac falsam, ne sit cõmixtio falsa.

Hic habetur modus conficiendi falsamenti cõmunis, si in mensa specialia deficiãt. Et receusentur quinque ex quibus fieri possit, Primum est Saluia,

DE CONSERVANDA



Salsamen
ta varia. Qua fit condimentum in assatione, siue decoctione an-
 seris. Anseres enim siue porcelli cum assantur, saluia
 ferè impleri solent, ut humiditates superfluae siue ui-
 scosae exhalent, & saluiae odor anseribus uel porcel-
Saluia. lis imprimatur. Post assationem tamen, saluia reijci-
 enda est, & non comedenda. Ex saluia etiam condi-
 mentum conficiunt rustici, quo in anserum esu utun-
 tur: contundunt enim allium cum uino & saluia, ut
Sal cum
uino. auferatur aliquantulum de sapore allij. Secundū,
 Sal cum uino, est q̄; salsamentum diuitum, siue nobili-
 um. Ipsi enim deficiente sinapio, uel ueriuto, imponūt
Piper. salsario uinum, & parum salis. Tertium, Piper,
 est q̄; salsamentum rusticorum, commiscent enim Pi-
 per cum fabis & pisis. Similiter etiam ex pane asso
 cum cereuisia, uel uino & pipere, fit salsamentum ni-
Allium. grum, ad modum pultis, quod etiam piper uocant, &
 hoc effundunt super carnes, aut pisces. Quartum,
 Allium, ex quo etiam fit salsamentum rusticorum. Mi-
 scent enim cum molli caseo & lacte, terendo allium,
 & ita comedunt cum cibo siue asso, siue elixo, siue
 salso,

falso dulci, & cum ouis duris. Quintum, Petroselinum, ex cuius folijs comusis cum ueriuto, uel albo uino, fit uiridis salsa, quam cum assis edunt. Et hic notandum, salsamenta, siue salsas secundum temporum diuersitatem uario modo confici: Temporibus enim calidis inclinant nonnihil ad frigus, uel paruam caliditatem habent. Temporibus uero frigidis contra.

Materia igitur salsarum estate fit ueriutum, uel agresta, de summitatibus uitis, uel acetum, succue limonum, uel citrangularum, uel granatorum cum saccharo, & aqua rosarum. Quibus interdum addi potest aliquantulum serpilli & petroselini, ad predictorum frigiditatem temperandam. Materia uero salsarum temporibus frigidis fit sinapiū, eruca, zingiber, piper, cinnamomum, gar yophila, allium, saluia, menta, serpillum, petroselinum, uinum, iusculum carniū, acetum non forte, sed uini naturæ propinquum. Temporibus uero temperatis, salsarum materia fit inter caliditatem & frigiditatem temperata. Secundo, uariantur ratione cibariorum, cibariorum enim alia alijs indigent condimentis, id quod coqui non ignorant. Mutonum enim, uitulorum & capreorum salsa debet esse uiridis, in estate quidem ex aceto & agresta, cum paucis speciebus sine Allio, cum Petroselino, Zingibere albo, & agresta, & pane asso in acetum uel agrestam infuso.

Hyeme fiat eadem cum pluribus speciebus pauco allio, optimo uino, & pauca agresta, uel sufficiat si-

DE CONSERVANDA

napium & *eruca*. Salsa autem pro carnibus bouis es-
 laxis est piper coctum ex pipere, pane asso, iure car-
 nium, & pauca agresta, & hæc eadem satis conue-
 nit carnibus porcinis in hyeme. Possunt etiam carnes
 porcine comedi æstate in principio refectionis cum
 aceto & petroselino. Si uerò prædictæ carnes pastil-
 lentur, præsertim bouinæ & porcine, Hyeme qui-
 dem adponatur cepe, allium cum puluere specie-
 rum dulcium parua quantitate. Aestate uerò sine ce-
 pis cum ueriuto, uel cepæ paruæ in pauca quantita-
 te. Si autem pastillatura fiat ex carnibus subtis-
 sioribus, non adponatur cepe. Aestate quidem hæc
amygdalarum, cum ueriuto, & pauco puluere spe-
 cierum dulcium, in fine adponatur ouum conquaassa-
 tum cum agresta. Hyeme uerò loco agrestæ sumas-
 tur uinum cum speciebus. Assaturæ autem cunicu-
 lorum, & pullorum conuenit condimentum ex Cinna-
 mono & mica panis. Aestate quidem cum agresta:
 Hyeme uerò cum uino. Assaturæ porci conuenit li-
 quor inde descendens, cõquassatus cum optimo uino
 & cepis, idque in hyeme. Aestate uerò salsa uiridis,
 cuius supra facta est mentio. Assaturæ phasianorū, co-
 lumbarum, & turturum, nullo alio indigent condimē-
 to præter salem. Caponū uerò & gallinarum elixata-
 rum, conueniens condimentū, est aqua decoctionis ea-
 rundem, cum aliquantulo pulueris specierum dulci-
 um, & præcipuè, si addantur in decoctione saluia,
 hyssopus, petroselinū, idq; in hyeme. In æstate sufficit
 sola

Sola aqua cum succo summitatum uitis. Verum pro
 falsa caponum & gallinarum pinguium pastillanda-
 rum, nihil penitus apponendum est, præter pauculum
 pulueris specierum, & in fine agresta supra dicta in
 æstate, optimum uinum in hyeme. Pisces uerò quanto **Piscium**
 sunt carnis crassioris, difficilioris digestionis, maios **alsa.**
 ris superfluitatis, & humidioris nature, tanto indi-
 gent salsis calidioribus & acutioribus, quod etiam in
 carnibus obseruandum.

DE LOTIONE MANVVM.
 CAPVT XVIII.

LOtio post mensam, tibi confert mu-
 nera bina,
 Mundificat palmas, & lumina reddit a-
 cuta.

Si fore uis sanus, abluere sæpe manus.

Hoc loco duo referuntur commoda ex lotionem ma-
 nuum à cibo sumpto. Primum, quòd ita manuum pal-
 mæ emundentur. Secundum, quòd reddat lumina ac-
 ta, id est, profit oculis, idq; per accidens. Manus enim
 sunt instrumenta mundandorum oculorum, quare
 multum confert eas esse mundas. Sed de hoc satis
 dictum est, cap. 3.

DE PANE. CAP. XXIIII.

PAnis non calidus, nec sit nimis inue-
 teratus,
 Sed fermentatusq; oculatus, sit bene co-
 ctus. **Et**

DE CONSERVANDA



Et falsus modicè, & frugibus ualidis electus.

Non comedas crustam, choleram quia gignit adustam.

Et panis falsus, fermētatus bene coctus, Purus sit sanus, non talis sit tibi uanus.

Panis calidus nocivus. *Heic præcipitur, duo esse uitanda circa electionem panis. Primum est caliditas. Panis enim calidus, humane nature nocet, iuxta illud Auicennæ. 2. Canon. cap. 572. Non comedatur, inquit, calidus sicut est, Panis enim calidus non est nature conueniens, & usus eius è furno & reliquorū similium est malus, quia multum oppilat. Panis calidus, caliditate sua sitim facit, & natat ob suam humiditatem uaporosam, estque uelocis digestionis, & tardi descensus. Qui licet in uictus salubris ratione non conueniat, ut alimentum, odore tamen plurimum confert, resuscitat enim syncope correptos. Fieri etiam potest ut homines aliqui solo panis*

lo panis calidi odore uitam prorogent, quod Democritum fecisse autor est Laërtius. Secundum, ne edamus panem uetustate induratum, siue mucidum, talis enim pro nutrimento naturæ humanæ non congruit, quia exiccat corpus, & humores melancholicos generat.

Sequuntur deinde quinque conditiones panis electi, quarum prima est, ut sit bene fermentatus. Gal. 1. alimento. cap. 2. Panes, inquit, ad concoctionem appositissimi sunt, qui plurimum fermentati, & approbè elaborati, in clibano, igne moderato percoquuntur. At qui fermento caret, nemini prorsus is crit accommodus: Huic adstipulatur Auicem. 2. Can. cap. 572. Panis habens parum fermenti plurimi est nutrimenti, sed eius nutrimentum oppilat, nisi illos qui sunt plurimi exercitij.

Panis electio.

Secunda est, ut sit oculatus, id est, porosus, per hoc enim dignoscitur uiscositate eius esse ablatam. Veruntamen iste panis secundum Auicem, uelocis est penetrationis, & minoris nutrimenti & deterioris: sicut est panis ἀὐτόπις, qui est plurimi furfuris.

Tertia est, ut sit bene coctus, quia panis malè coctus tardè concoquitur, & stomachum grauat. Auic. loco citato. Et ille qui non bene decoquitur, est plurimi nutrimenti, sed eius nutrimentum oppilat, nisi illos qui sunt plurimi exercitij. Et panis de patella est huius generis, eius namq; pars interior rarò decoquitur bene.

Quarta

DE CONSERVANDA

Quarta est, ut sit temperatè salitus: dulcior enim oppilat, salus exiccat. Moderatè tamen salus, optimum nutrimentum præbet, si cæteræ conditiones pariter adsint.

Quinta, ut sit confectus ex optimis granis, laudatissimo tritico. Tertio demum loco uetatur usus crustæ panis, ut quæ choleram adustam, & humores melancholicos pariant, quatenus ipsa adusta & sicca est, & humor etiam inde genitus, adustus erit & succus. Quare nobiles, qui natura cholericici sunt, curant sibi auferri à pane superiorè & inferiorem crustam, quos imitantur prælati & delitiosi. Eligenda igitur mica panis melioris, ualentioris, & uelocioris nutrimenti, quàm crusta.

Decrusta
tio.

Crusta
panis.

Crusta tamen aliquando conuenit sanis, habentibus stomachum humidum, & uolentibus emacerari, idque sumpto cibo. Cibi enim descensum promouet, & confortat orificium stomachi. Duobus ultimis uersibus innuitur ut panis laudatissimus habeat has quinque conditiones, ut sit salitus, fermentatus, benè coctus, purus, & sanus, id est, de granis ualidis & sana messe collectis. Et has conditiones habet Auicenna loco citato. Oportet, inquit, ut sit panis mundus, salitus, massam habens confectam, fermentatus, coctus bene, & una nocte permanens. Additio. Sciendū præterea, panem ex farina cribro succreta & à fursure repurgata maius & purius præstare alimentum, fursuraceum uerò, id est, cui fursuris nonnihil commixtum est, in
firmum

firmum quidem præstare alimentum, sed facilius per
intestina descendere. Gal. lib. 1. cap. 2. de alim. facult.

DE CARNIBVS PORCINI

CAPVT XXV.



Est caro porcina sine uino peior ouina,
Si tribuis uina, tunc est cibus & medicina.

Heic fit comparatio quedam inter carnem porcina & ouillam, nimirum, quòd porcina, si citra uinum sumatur, ouilla sit salubrior. Attamen si uinum adiungatur, suprà quàm quòd ualentissimè nutrit, habet & facultatem ceu medicamenti, humectando enim corpus alterat, id quod de porcellis assis in primis & apris quàm optimè præparatis intelligendum. Carnes uerò porcinae, quibus rustici & plebei utuntur, sale conditæ, siue sole, siue fumo, exsiccentur, ouillis nihil meliores sunt, neq; cum uino.

DE CONSERVANDA

*Et hoc ueritatem habet in carnibus porcellorum as-
fatorum, siue carnibus aprugnis, ut dictum est.*

**Ilia porcorum bona sunt, mala sunt reli-
quorum.**

*Hoc uersiculo conferuntur omasa, id est, intesti-
na pinguiora porcorum cum reliquorum animalium
omasis: & quantum ad uictus rationem attinet, reli-
quis suilla præstant. Nullorum enim animalium inte-
stina utimur, nisi sanguine refertorum & pinguium,
cuiusmodi sunt porci. Sanguis namq; suillis solus hu-
midus est, & minus calidus, humanae maximè tempe-
riæ similis. Siquidem et carnes suum humanis sunt si-
miles: quo quidem sanguine intestina implentur. Por-
ci etiam facilius quàm aliquid aliorum brutorum sa-
ginantur siue impinguantur, quare intestinis eorum
libentius utimur.*

DE MVSTO. CAP. XXVI.



impedit

IMpedit urinam mustum, soluit cito uentrem,
 Epatis emphraxin, splenis generat lapidemq;

Heic quinq; referuntur nocumenta ex potione uini recentis, siue musti. Primum, quod urinam impedi-
 diat, idq; dupliciter: uel enim propter crassitiem suã ex fece commixta epar siue renes oppilat, & urinae meatus occludit, uel reddendæ urinae consuetum morem & ordinem immutat, ut mustum Rhenense, & alia quaedam subtiliora. Horum enim feces terreae sunt & nitrosæ, ac proinde cum in uesicam descendunt, ipsam mordicantes inordinate, ac præter morem consuetum meiere cogunt. Secundum, quod aluum facile & citò soluat. Viscera enim & intestinalia nitrositate sua & fecis salsedine abstergens ad deiectionem & expulsionem excitat. Primo quidem, ob fecis acrimoniam: dein flatuum quos progignit, multitudinem: tertio uerò ob lubricitatem per intestinalia, ut inferiorẽ uentriculi meatũ, quem $\pi\upsilon\lambda\omega\rho\acute{\sigma}\upsilon$ Græci, Latini portonarium uocant, facillimè descendens, stomachum relaxat. Tertium, quod complexionis & temperaturæ epatis officiat. Epar enim ob plurimam fecis commixtionem oppilat, & flatuum multitudine debilitat, dysenteriam epaticam inducens, teste Anicen. 3. 1. Doctr. 2. cap. 8. Eodem modo $\kappa\alpha\chi\epsilon\acute{\xi}\iota\alpha\upsilon$, & paruas epatis ægritudines parit, diuersas nimirum hydropisis species. Quartum, quod

Musti nocumenta.

DE CONSERVANDA

pleni & temperatura eius, eodem ferè modo, quo è
pati, nocumeentum inferat, oppilando scilicet, & in
durando. Quintum, quòd calculum generet, &
maximè in rebus (qui quidem colore ruber est, &
friabilis) propter oppilationem, quam ex substantiæ
sue crassitie facit. Et hoc uirtutem habet in musto
dulcioris uini, cui non sunt admixta nitrosa, & mor
dicantes feces. Mustum enim cui illæ admixtae sunt, la
pidis generationem perturbat. Quippe quòd urinã
uehementius cicat, cuiusmodi nonnulla sunt ex Rhe
nensibus quæ arenulas per urinam, secum agunt, tum
frequentiùs etiam ad mingendum impellunt. Frequens
enim mixtio motu suo adherentes arenulas abstergit
& aufert.

DE POTV AQVAE. CAPVT XXVII.



Potus aquæ sumptus comedenti in
commoda præstat, Hinc

Hinc friget stomachus, crudus & inde ci-
bus.

Hic traduntur duo nocumenta ex potu aquæ in Aqua pos-
ter edendum. Primum, quod noceat stomacho: ip- tus noxius
sum enim infrigidat & relaxat, & maximè omnium
cibi appetentiam deijcit: Secundum, quod impedi-
at digestionem. Cibum namq; sumptum crudum red-
dit. Auicenna 3. 1. Doctr. 2. cap. 7. Neq; inquit post
ipsum (scilicet cibum) multa bibenda est aqua, quæ
inter ipsum, scilicet cibum & stomachi corpus, se-
parationem faciat, & ipsum natare. Ibidem cap 8.
inquit: Et cum natura in digerendo studeat satieta-
ti aquæ iam præcedente sufficienter, id est, si præ-
cesserit satietas aquæ sufficiens ad bonam cibi per-
mixtionem, aqua est uehementer impediens, scilicet
digestionem inchoatam. Idem 2. parte Canticorum
Numero 29. & 30. Est etiam, inquit, uitandus pos-
tus aquæ in mensa, nisi ratione adharemie, & tar-
dioris descensus buccellæ. Non est enim sumenda a-
qua cum cibo. Auribes in com. Causa quidem huius
est, quoniam cum sumitur super cibum priusquam
stomachus calfecerit ipsum, infrigidat & incrudat.
Est etiam caussa, cur sumptus cibus stomacho inna-
tet, nec eidem adhareat, neq; uniat, ut conterat
ipsum, sicuti par est. Actio namq; stomachi in sum-
ptum cibum fit conterendo simul & coquendo,
Vnde quemadmodum si in ollam iam ebullientem
multum aquæ simul infundatur, decoctio cibi tar-

DE CONSERVANDA

alius perficitur, Ita & in stomacho contingere solet. Parua tamen frigida aquae quantitas sugendo sumpta conceditur, ut per eam cibi ad inferiora descendant, & hoc si sitis etiam infestauerit, bibereq; cogat. Nam parua quantitas aquae frigidae, hoc modo sumpta, stomachum alleviat, & colligit. Alleviat quidem à siti, & cooperando in descensum cibi. Colligit uerò frigiditate sua coadunans partes stomachi. Et hoc colligitur ex Auicen. locis citatis.

**Aqua sitis
extinguenda.**

Notandum quòd in sitis extinctione, magis conueniat aquae quam uini potus, uinum tamen, pro ualitudine conseruanda sit praefendum. Dato enim & concesso, quòd in sitis repressione (quae est appetitus frigidi, & humidus) aqua in uniuersum melior sit, quia frigida & humida, naturaliter tamen, in cibi permutatione, & delatione ad corporis partes extimas, uinum aquae praeualeat. Vinum enim subtilitatis seu ratione, in substantia & actione, subtilibus cibis permiscetur: quia natura eo magis delectatur, ipsa citius attrahit, & alijs cibis permiscet, & maxime, quòd haec mixtio fiat per modum quendam ebullitionis, quam uinum magis iuuat, ratione uirtualis caliditatis, & aqua impedit, propter frigiditatem. Et sic patet, uinum aquae in ciborum permutatione praeualere, & in eorundem delatione. Nam uinum ob substantiae suae subtilitatem & caliditatem uirtualem optime penetrat. Subtilia enim & calida facile penetrant, & per consequens, uinum magis desert quam aqua,

aqua, cui nihil inest uirtualiter calidum, neq; substantiæ aëriæ, neq; igneæ, unde aqua tardè transeundo, impedit omnem cursum.

Alio item modo, aqua quàm uinum potui ineptior est, impedit enim alimenti nutritionem, eò quòd ipsa non nutriat, unde quanto cibus magis aqueus est, tanto minus nutrit. Melius igitur uinum cum cibo permiscetur, quod non solum non impedit nutritionem, uerum etiam multum iuuat, maximè si quidem & uelocissimè nutrit, & instaurat, ut dictum est suprà. Insuper notandum, aquæ potum edenti non solum nocere, sed etiam pluribus alijs, ut refert Auicē. 3. 1. Doctr. 2. cap. 8. Primo enim nocet homini ieiuno, ita enim penetrat aqua sumpta nullo retinaculo impedita, usq; ad intima membrorum principalium, extinguens calorem innatum. Et hoc uerum est in homine uerè ieiuno. Ebrio enim quandoq; confert, neq; ipse inde læsionem sentit, si ieiunus aquam bibat, quia ieiunus ebrius non est prorsus ieiunus, neque stomacho uacuo, sed fert. habet reliquias aliquas hesternæ crapulæ, quarum nitrositas per aquam mitigatur, & ita stomachus abluatur, & repressis uaporibus ac fumis reparatur receptio noui nutrimenti. Secundo, homini exercitato ex A coitu exercitio forti nocet, & similiter statim à coitu, nam tū & exercitio corporis pori aperti sunt, quare penetrat aqua in profunda membrorū, extinguens calorem innatū, qui & post coitum debilitatus est. Tertio, nocet statim à balneo. A balneo. uero, & maximè si hoc fiat stomacho uacuo, tū enim

DE CONSERVANDA

Sitis nocturna.

via uehementer aperta sunt, quare laedens aqua penetrat, ut dictum est. De hoc ita dicit Auicenna 6.4. Summa 1. cap. 11. Ex potu illius in ieiunio, & post balneum, & post coitum timetur corruptio complexionis & hydropisis. Quarto, nocet bibere aquam frigidam causa obediendi siti nocturnae mendosae, quae accidit crapulantibus & ebrijs. Nam per potum aquae frigidae prohibetur resolutio & digestio humoris falsi, uel fortis uini, uel alterius acuti, & assantis sitim, & sic citò reuertitur sitis aquae uehemens, ut antè. sed si uehementior adfuerit sitis, nimium uexans & inquietas, neq; sufficiat aeris inspirati frigiditas, nec ablutio oris cum aqua frigida, bibat sitibundus aquam frigidam ex uase stricti orificij siue gracilis colli, quo diutius permeet ad orificium stomachi, & fortius sitim mitiget, ac de ea minus sumatur, ne digerendorum concoctionem penitus impediat.

Quinto, in genere malum est, sanis bibere multam aquam frigidam, extinguit enim calorem innatum, pectus offendit, stomachi appetitum deijcit, & membris omnibus neruosis nocet, teste Hippoc. lib. 5. Aphor. 18. & 24. Veruntamen aqua temperatè frigida aliquando per accidens appetitum excitat, & stomachum confortat, ipsum coadunando, & stringendo uilos eius.

DE CARNIBVS VITVLINIS. CAP. XXXVIII.

Sunt nutritiuæ multum carnes uitulinae.

Hic

Hic laudantur carnes vitulinae, eò quòd plurimum nutrimenti praebeant. Id quod testatur Auicenna. 3. 1. Doctor. 2. cap. 7. ubi praecipit ut cibus sanitatis conseruatiuus sit, quales sunt carnes, quia sunt similis naturae & aptae ut in sanguinem conuertantur, ut proprie carnes hœdorum & vitulorum paruorum lactentium, & agnorum unius anni. Galen. item 3. alimen. facul. mire extollit carnes vituli lactentis. sex uel octo hebdomadarum assatas, ut saluberimas, quae multum nutriant, & faciliè concoquantur.

DE AVIBVS ESVIAPTIS.

CAPVT XXIX.



Sunt bona gallina, & capo, turtur sturna, columba.

Quiscula, Phasiades, merulae, simul Orthygometra.

Perdix, frigellusq; orex, tremulusq; amarellus.

Hoc loco fit enumeratio carnum ex auib. pro nu

DE CONSERVANDA

trimento humane nature conuenientiorum: & sunt
Gallina. 14. Prima est, gallina: cuius esus nature humane
 conuenit. Haly enim, Auensior, Auerrors, & Mesue,
 teste Conciliatore, differen. 68. præ cæteris laudant
 pullorum carnes, & maximè gallinæ quæ nondum
 peperit, & galli uenerè nondum experti. Facile enim
 in sanguinem uertuntur, & parum excrementosa
 sunt, proprietatem mirabilem habent in temperando
 complexionem & humores. Iusculum harum opti-
 ma leprosis est medicina: Et Auicenna 2. Canon. cap.
 296. Caro, inquit gallinarum iuuenum in intellectu
 augmentum efficit, clarificat uocem, & augmentat
 sperma. Et melior est, quæ nondum parit oua. See
Capo. cunda, capo, siue gallus castratus, cuius carnes Con-
 ciliator loco citato recenset inter carnes laudabilio-
Turtur. res, ut quas stomachus à proprietate digerat. Tercia,
 turtur, quæ etiam inter aueis boni alimenti refer-
 tur, bonumq; generat humorem. Cuius carnem mirè
 laudat Auicenna 2. Canon. cap. 146. Volucris qui-
 dem, inquit, caro melior non est, quàm Alduragi, id
 est turturis, & gallinarum, & subtilior earum, &
 non sunt cū nutrimento carniū Aculbegi, id est, per-
Sturnus. dicum &c. Quarta, ut quibusdam placet, est Stur-
 nus, quæ comedenda est in iuuentute, Est auis nota,
 Teutonice ein Spræ/oder Star. Secundum ue-
 rò alios est starna, quam Rhazes 3. ad Mansorem ca.
 10. præ cæteris uolatilibus commendans dicit: Star-
 ne caro omni carne auium leuior inuenitur, atq; his,
 qui

qui subtili uolunt custodiri regimine, conuenientior.
 Per Starnam quoq; intelligi potest, uel auis magna,
 uelut anser cinerei coloris, cuius caro laudabilis est,
 maximè cùm iuuenis fuerit, & ita intelligit Rhazes,
 præferens hanc alijs. Vel per Starnam intelligitur
 substantia seu forma perdicis parue, quam Moyses
 intellexisse uidetur, ad Iudeos hoc modo uerba faci-
 ens: Similiter Starnæ non uidentur pro domino no-
 stro, quia uentrem constringunt. Et hanc proprietate-
 tem, alij perdicibus adscribunt, carnes enim earum
 uentrem constringunt, teste Rhaze 3. ad Mansorem
 cap. 10. Quinta, columba, auis uulgo nota, cuius ca-
 ro est cholericæ, de qua Rhazes loco citato. Colum-
 bæ, inquit, uehementis sunt caliditatis, quæ & san-
 guinem inflammatum generant, & citò febrile faci-
 ciunt. Quare aptius comeduntur in pastillis cum uinis
 acerbis quàm assatæ. Per uuas enim acerbæ aufertur
 caliditas. Electiores porrò sunt iuuenes uolucres, &
 leuioris digestionis ac melioris humoris. Pulli enim in
 uolucres, caliditate & humiditate abundant, quare
 crassos generant humores, teste 2. Can. cap. 133. Antis-
 quæ uerò columbæ & turtures, propter nimiam cali-
 ditatem & siccitatem, & digestionis difficultatem,
 sunt euitandæ. Sexta, Quiscula siue coturnix. Est
 autem quiscula fictum à sono. Cuius caro secundum
 aliquos substantia est subtilis, bonum generans humo-
 rem, & multum competens sanis, & à morbo con-
 ualescentibus, secundum Isaac uerò coturnices cæte

Columba

Coturnix
siue quiscula

DE CONSERVANDA

ris uolatilibus peiores sunt, nec nutrimento, neq; digestioni commendabiles: Ex comestione enim carnis earum timetur spasmus & tetanus, inquit Auicenna 2. Canon. cap. 154. Quia enim in substantia earum est uirtus quae facit huiusmodi accidentia, eò quòd coturnices uescantur Helleboro. Hinc & Galili comedunt coturnices cum molli & pingui caseo, inde pastilla facientes. Potest tamen per coturnicem etiam intelligi auis quaedam alia à praedicta, perdice maior, eiusdem serè coloris, rubetis pedibus & rostro, saporis delectabilis, dicta coturnix lingua italica, Quomodo & Rhazes 3. ad Mansorem cap. 10. coturnicem accepisse uidetur, praeserendo car-

Phasianus nes eius carnis starna, & omnium uolatiliũ. Septima, Phasianus, id est, gallus syluestris, qui ab omnibus medicis inter auis optimi nutrimenti refertur. Caro enim eius naturae humanae est conuenientissima, & cibi principum & magnatum: Conciliator enim loco citato, dicit: Syluestrium quoq; laudabiliores sunt phasiani, & ad sanitatẽ & robur. Et fortassis etiam in uniuersum domesticis, cum sint gallinis propinquisimi, & eiusdem serè speciei, sintq; illis siccoris aëris, & alimẽti ac exercitij amplioris. Octaua, Me-

Merula.

rula, eiusdem quantitatıs cum starno, sed magis ad nigredinem tendit, rostrum habet subrubeum, quae

Orthygo

& ipsa comedenda est iuuenis. Nona, Orthygometra, auis parua ad modum perdicis, longi rostri,

cuius

VALETVDINE.

eius caro est optima. Decima, Perdix, cuius ca- Perdix
 ro, autore Auicenna, 2. Canon cap. 186. est de sub-
 tilioribus carnibus, impinguans, quia multum nu-
 trit, cor abstergit, hydropisi & stomacho confert,
 augmentum in coitu facit, attamen uentrem strin-
 git. Galenus quoque 3. de alimen. facul. cap. 10. Et
 8. Medendi Methodi cap. 2. Hanc omnibus alijs
 uolatilium carnis præfert. De qua si assidue co-
 medatur, maximè confert memoria. Undecima,
 Frigellus, uulgo et in Weintrostel, auis que racemis Frigellus
 uescitur, uelociter uolat, similis est sturno, sed melio-
 ris alimenti. Multæ inueniuntur in uineis, inebrian-
 turq; ex esu racemorum, optima est caro earum cir-
 ca festum Omnium sanctorũ. Duodecima, Orex, Orex.
 que secundum quosdam est gallina syluestris, siue gal-
 lina Phasiani. Secundum alios uerò, gallina aqua-
 tica. Et siue sit fœmina Phasiani, siue gallina aqua-
 tica, Caro eius bonum nutrimentum præstat.

Decimatertia, Tremulus, auis que serè sem- Tremulus
 per iuxta mare uersatur, minor gallina, fusca, altè uo-
 ciferans, uelocissimi uolatus, quando pedibus incedit,
 caudam assidue quatit, unde tremulus dicitur, in
 capite suo longas plumas, siue cristas habet, nec est
 parua illa auicula, longæ caudæ, que uulgo Cauda
 tremula & Motacilla dicitur. Ultima, Amarellus, Amarellus
 auis aquatica, similis anati, sed minor. Illud poro
 rò nosse oportet, alimentum laudabilius ex auibus ea

DE CONSERVANDA

rum esse, quæ uolatu magis nituntur, celeriusq; uolant. Et quemadmodum carnes dictarum auium commendabilis sunt nutrimenti, & facilis digestionis, ita contra reperiuntur carnes quarundam auium alimenti improbabilis, difficilis digestionis, & inæqualis complexionis, uelut Anserum, Pauonum, & Malardorum, & præcipuè habentium collum & rostrum oblongum, degentium in aquis, & passerum. Hi enim calidissimi sunt, & à temperamento longissimè recedunt, ueneremq; uehemèter stimulant. Circa electionem autem carnis uolatilium, sciendum est secundum diuersas laudabilioris nutrimenti proprietates, ac eius, quod nutritur, sanitatis uel roboris intentionem, carnes uariè laudari. Galenus enim respiciens ad facilem alterationem & subtilitatem, perdices prætulit. Rhazes uerò & Isaac, oblcuitatem & subtilitatem, starnam. Isaac etiam diuersa ratione carnes uolatilium laudauit diuersas. Auicenna laudauit carnes Turturum præ cæteris, quòd corroborent & confortent intellectum. Auium porrò omnium genus leuissimum cibum præstat, si ad quadrupedes conferatur: quare ijs qui corporis neglecto exercitio, consilijs potissimum, & studijs & contemplationi intendunt, conueniens est, iuxta hanc Galeni sententiam, 3. de alim. facul. cap. 18. Earum, inquit, quæ uolatu fidunt, caro ob facilem concoctionem præcipuam laudem meretur, maximeq; perdices, generat enim sanguinem clarum, mundum, spirituosum, mentis exercitijs & intellectui aptum.

VALETVDINE;
DE PISCIBVS. CAP. XXX.



Si pisces molles sunt magno corpore,
tolles,
Si pisces duri, parui sunt plus ualituri.

Hic ponuntur duo accidentia, unde habetur electio piscium. Pisces enim aut duri erunt, aut molles: si molles, uetuli nouellis erunt meliores: quia mollities prouëit ex humiditate, quæ in nouello pisce indigesta est, in uetulo uerò digestibilior. Quare nouelli pisces magis phlegmata generant, quàm uetuli. Et sic patet anguillam uetulam saniozem esse nouella, ut quibusdam placet. Si uerò dura carne conditi fuerint, iuuenes erunt saniores, id est, digestibiliores, cuiusmodi sunt Lucij & Perceæ, durities enim resistit digestioni. Auic. est hæc sententia. 2. Canon. cap. 555. Eligatur quidem, inquit, ex piscibus duram carnem habentibus ille, qui est minor. Et ex habentibus mollem carnem, ille, qui est maior ad terminum aliquem. LIB

DE CONSERVANDA

Lucius, & perca, & saxaulis, & albica,
Tencha,
Sornus, plagitia, & cum carpa, galbio,
truta.

Lucius. Hic 10. recensentur pisces naturæ humanæ pro
alimento conuenientes. Primus est Lucius, piscis
notus, tyrannus piscium, quia non solum deuorat pi-
sces alterius, sed etiam suæ speciei, unde uersus:
Lucius est piscis rex, atq; tyrannus aquarum.

Perca. Est piscis duræ carnis, natatu uelox, uulgo ein
Becht. Secundus, Perca, per antiphrasin à par-
cendo, quod nulli piscium parcat, iratus enim uulne-
rat alios pisces squamis suis, quas habet supra dor-
sum, nec audet eum inuadere Lucius, imò, ut narrat
Albertus, naturalis amicitia est Percæ cum Lucio.
Lucius enim læsus ab alio difficulter sanatur, quare
querit Percam, qui uidens eum læsum, tangit, & le-
nat uulnus eius, & sic sanatur: est quoq; Perca si-
militer piscis duræ carnis notus, teutonice, ein Ber-
Saxalus. sic. Tertius est Saxaulus, piscis marinus, Gallis
Sola dictus. Alijs tamen placet esse piscem, qui teu-
tonice dicatur ein Zunge. Estq; hic inter pisces ma-
Albica. rinos saluberrimus. Quartus, Albica, teutonice
Tencha. Sitting, qui & ipse marinus est. Quintus, Ten-
cha, piscis aquæ dulcis, notus, pelle lubrica atq; uis-
cosa, ad nigredinem tendente: Carne dura, unde
ab his tribus, Lucio scilicet, Perca, & Tencha, post
coctio

coctionem pellis aufertur. Dicitur hic autem piscis
 teutonicè ein Tinche/oder Schleihe. Sextus,
 Sornus, Est piscis marinus minimus, albus, medi digiti longitudinem non excedens, comeditur una cum capite & spinis. Teutonicè dicitur ein Garnart. Sornus.
 Septimus est Plagitia, piscis marinus, notus, latus, Plagitus,
 in una parte suæ pellis rubris maculis conspersus, pelle tota albus, curuo ore, aliàs & Pecten dicitur, teutonicè ein Plattelß / oder Scholle. Octavius, Carpa, siue Carpio, piscis dulcis aquæ, notus, Carpa.
 admodum uiscosus: quare à magnatibus in uino decoquitur, ita enim tollitur uiscositas eius. Teutonicè ein Carpffen. Nonus, Galbio, piscis marinus, no Galbio.
 tus, à quibusdam dictus Rogetus. Teutonicè ein Rodbart, & est piscis duræ carnis, ac sanus. Alij textus habent Gobio, de quo Galen. lib. 3. de alimen. facul. Gobio, inquit, littoralis est piscis, ex eorum numero qui parui perpetuò manent. Suauissimus ac concoctu facillimus, simulq; ad distributionem et succi bonitatem, optimè comparatus. Gallicè Gouion, Teutonicè, ein Fress oder Fresslin. Vltimus est Truta, in carne similis Salmoni, nec tamè Salmo est, Truta.
 longus quidem est, sed non crassus. Capitur in magnis fluuijs, fricando ferè, hinc fiunt pastilla cū speciebus, & est piscis ualde preciosus. Gallis Trutes, Germ. ein Fozel.

Circa electionem uerò piscium sciendum, primo, Piscium carnum respectu (cæteris paribus) minoris esse nunc electio, trimenti,

DE CONSERVANDA

erimenti, sed plurimum superfluitatum. Phlegmatici enim sunt, id est, frigidi & humidi, minusq; fastidiosi, concoctu difficiles, tardi transitus, quare in stomacho interdum corrumpuntur, & putrescunt, sitim gerando. Carnium itaq; laudabilium nutrimentum, piscium nutrimento praestat. Secundo uero, pisces marinos meliores esse, uictus salubris ratione (caeteris paribus) piscibus aquae dulcis. Praestant enim nutrimentum minoris superfluitatis & naturae carniū propinquius. Sed quia (caeteris paribus) pisces marini sunt carnis durioris quam aquae dulcis, difficilius etiam digeruntur, ac resoluntur, magisq; nutriunt, & sanguinem purum procreant. Aegris tamen magis conferunt pisces aquae dulcis, ob digestivae uirtutis debilitatem. Tertio sciendum, ex piscibus tam marinis quam aquae dulcis eligendos esse quorum caro sit alba, non uiscosa, frangibilis, subtilis, boni odoris, tardae putrefactionis, coloris laudabilis, quorum habitatio non sit in lacubus, stagnis, aut locis sordidis, nec in aquis habentibus malas herbas. Eligendi autem, non admodum iuuenes, neq; praegrandes, sed uelocis motus, & paucae uiscositates. Ex marinis eligendi sunt, capti in fluminibus multum à mari distantibus idq; caeteris conditionibus bonis suppositis:

Squamosi Item suppositis praedictis conditionibus quanto meliores. pisces sunt squamosiores, tanto & meliores. Idem intelligitur de spinis, quia multae spinae & squamae significant puritatem substantiae piscis. Inter pisces

etiam

etiam marinos, meliores & puriores sunt, nutriti & capti in mari profundiori, uentorumq; aestu magis agitato, ac magnis multisq; fluminib. adulterato. Vnde in mari Septentrionali capti, præstant ijs, qui capiuntur in mari mortuo, seu meridionali. Pisces quoque aquæ dulcis, meliores sunt qui in rapida ac multiflâ aqua fatigantur. Ex quibus iam dictis colligitur, qui piscium probi malitue censerî debeant. Bestiales enim, ut Porcus & Canis marinus, Delphin, & Morpha, insuaues sunt, concoctu difficiles, crassî, & salsi humoris, plurimi excrementi, maximeque recentes, ad usum uictus salubrem inepti, nec apparent in carne eorum, prædictorum piscium conditiones, albedo scilicet, & subtilitas, &c. Quos tamen si contingat esse, non ilico à captu coquendi sunt, sed per dies aliquot seruandi, dum caro mollescat, & citra substantiæ corruptionem intremiscat. Id quod fieri solet, si leuiter sale conspergamur. Quomodo & sapidiores euadere Gale. autor est. Inter pisces marinos, Rogetus, & Sornatus, siue Gornus, non improbantur, Nam caro eorum & substantia purissima est. Deinde Plagitia, & Sola, quorum tamen caro uiscosior est, minusq; frangibilis, ac minus alba, & crassior: sapore quidem & odore minus delectabiles. Merlengo tamen fortè secundus debetur locus post Rogetum. Non est enim tantæ crassitiei, & uiscositatis, ut Plagitia & Sola, substantia est satis frangibili, sed consideratis sapore, odore, calore, substantiæ

DE CONSERVANDA

puritate, & mollitie, deficere nonnihil deprehenditur in bonitate à Rogeto & Gornato. id. intelligendum de Halece. Morpha iuuenis satis in bonitate prædictis appropinquat, consideratis tamen conditionibus prædictis, est crassior & uiscosior. Salmones autem, Turboti & Maquerelli, multum deficiunt in bonitate. Sunt enim multo crassiores, uiscosiores, & difficilioris concoctionis; nec competunt, nisi exercitantur, fortibus, & iuuenibus, idq; si quid salsedinis eis commisceatur, quo uiscositas, crassities, & frigiditas eorum corrigantur. Inter pisces autem dulcis aquæ, consideratis prædictis conditionibus, Perca & Lucius mediocris primum bonitatis gradum obtinet, supposito quòd sint pingues, deinde Vendosia, hinc Lopia. Et quamuis Carpa prædictis sit squamosior, carnem tamen habet non tam albam, frangibilem & subtilem, ut Lucius & Perca: sæpiusq; in stagnis reperitur.

Fluuiatiles.

In summa tamen (si cætera pariter adsint) meliores censentur pisces fluuiatiles, capti in aqua petrosa, fluente uersus septentrionem, profunda, multæ agitationis, quo non confluant sordes ciuitatum, in qua etiam herbarum ac bonarum radicum copia suppetat. Cancris autem fluuiatiles & marini multi sunt nutrimenti, non facîle in stomacho corrumpuntur, sed tardius digeruntur.

Sciendum insuper, pisces recentes corpus humefare, lac & sperma multiplicare, ualdeq; conferre cholericis

cholericis. Non sunt autem comedendi pisces à forti **Pisces qui**
 exercitio, siue labore, nam ita facillimè in stomacho **& quibus**
 corrumpuntur. Caueant item sibi ab esu piscium, qui **conducant**
 bus stomachus debilis sit, & malis humoribus plenus.
 Nec comedendi sunt pisces simul cum carnibus &
 lacticiinijs, neq; post alios cibos. Postremò uerò scien-
 dum, pisces crassos, salsos, meliores esse quàm recen-
 tes, attamen longo tempore salsi prauisunt alimentis.
 Pisces etiam laudabiles, leuiter salsi, ac modicè sum-
 pti, appetitum, si quis eos expetat, reuocant & cor-
 roborant.

DE ANGVILLA. CAP. XXXI.



Vocibus anguillæ
 prauæ sunt si cõe
 dantur.
 Qui Physicæ non i-
 gnorant, hæc testifica-
 tur.

Nitū sæpe bibas & rebibendo bibas
 Hic traditur anguillam plurimùm nocere uoci-
 bus, & hoc probatur rationibus medicis & Philo-
 sophicis. Anguilla enim piscis est crassi, & leni suc-
 ci, maximè oppilans, multumq; à conditionibus pro-
 bi piscis, præcedente capite relatis, deficiens. Quod
 etiam intelligendum est de Lampetra, Licet Lam-
 petra parua anguillis laudabiliores censeantur, &
 minus periculosa. Non enim habent tantum uiscosita-
 tis & crassitiei quantum anguilla. Hi pisces licet

Anguilla.

Lampetra

DE CONSERVANDA

Cottio,

orinon ingratum saporē offerant, admodum periculosi sunt. Generatio enim eorum in aqua similis est generationi serpentum in terra, non sine ueneni suspi-
 tione. Vnde & Varroni nomen habent, quod angui-
 bus adsimulentur. Quare eorum capita, & caudæ, in
 quibus uenenum esset, ac similiter interior spina, nul-
 lo modo edenda sunt. Bonum est etiam, ut propter ui-
 scositatem uino optimo immersi, in eo ludant donec
 moriantur. Ac deinde præparentur cum iusculeo op-
 timarum specierum, ut solent Apitianæ scholæ secta-
 tores. Conuenit etiam ut ebulliant, primò duabus ebul-
 litionibus in uino & aqua, & illis abiectis, decoquan-
 tur demde ad perfectionem, & fiat iusculeum, uel pa-
 stillatura, uel assatura, cum salsamento conuenienti
 cum falsa scilicet uiridi, fortibus speciebus & uino in
 hyeme, cum debilibus speciebus, agresta & aceto, in
 æstate. Commodius tamen ab esu huiusmodi piscium
 abstinetur. Stomacho enim & renibus sunt inimici,
 sed præcipuum sentiunt nocumentum ex eorum ob-
 sonijs, qui arenulas mingere consueuerunt, quoniam
 illæ angullari glutino, in calculos cogi & adstrin-
 gi uideantur. Podagra quoq; laborantibus manifestè
 officium, nec ullis morbis medentur, sic ut iniquè
 natura fecisse uideatur, quæ tam suauem refutandis
 expuendisq; piscibus indiderit saporē:

**Calculosis
obsunt.**

**Podagri-
eis.**

Medici omni ex loco, omniq; tempore, & præser-
 tim circa solstitium, angullas de testantur.

Secūdo loco dicitur caseum & angullam, si come-
 dan-

dantur, plurimum nocere, quod intelligendum est, si magna quantitate sumantur: causa partim dicta sum cap. 7. & partim hoc cap. Postremò dicitur, si prædicta cum frequenti potatione uini sumantur, malitiam eorum corrigi. Quod tamen non est intelligendum de uino subtili et penetrante, quia super cibum mali chymi bibere uinum dum comeditur, aut antè, aut post quàm digeritur, est malum, ut testatur Auicen. 3. 1. doctr. 2. cap. 8. Quoniam facit malum chymum in extrema corporis penetrare, unde maximum sequitur nocumentum. Sed intelligendum est de uino forti, non admodum penetrante, sæpe & parua quantitate sumpto, causa bonæ permaxtionis ciborū, hoc enim corrigit malitiam eorum, confortat digestionem, digerit humores phlegmaticos & frigidos, quare multum facit ad digestionem casei & anguille.

DE CIBI ET POTVS ALTER-
natione. CAP. XXXII.

INter prandendum, sit sæpè, parumq; bibendum.

Si sumas ouum, molle sit, atq; nouum,

Hic duo habentur præcepta, Primum est de alternatione cibi & potus, ut scilicet inter prandendum, siue coenandum, alternatim comedatur & bibatur, sæpius potius quàm multum bibendo, minimeq; bruta animantia imitando, quæ tum demum bibunt, cum cibo exaturata fuerint. Ita enim potus melius

DE CONSERVANDA

cibo permiscetur, & cibus mollior ac digestionibus
Potus tri- bilior redditur. Vbi notandum triplicem esse po-
plex. tum, permixtium scilicet, delatiuum, & sitis sedati-
Permixtio- tiuum. Dicta itaq; de permixtuo potu, habent ueritas
uus. tem. Huius enim debet esse quædam cum cibo alter-
 natio. Nec est differendus (saluo tamen aliorum iu-
 dicio) ad finem comestionis, siue dum sitis urgeat.
 Et maximè conuenit hunc frequentare, quando co-
 meduntur cibi actu uel potentia calidi, idq; in ijs qui
 uehementius se exercent, panemq; siccum edunt. Po-
 tus uerò sitis sedatiuus in hominibus bonæ constitu-
 tionis conuenienter ad finem comestionis differtur,
 tunc enim est uera sitis, propter aestuationem cibi ca-
 lidi & sicci. Nec enim uerisimile est, sitim & famem,
 cum sint appetitus contrariorum, simul urgere. Estq;
Delatiuus hic potus iuxta sitis exigentiam augendus, uel minu-
 endus. Atqui delatiuus maximè conuenit completa
 prima digestionem, conuenientissimè etiam adhibetur
 paulò ante horam suscipiendi alterius cibi. Et præ-
 cipuè cum cibi primo sumpti crassæ fuerint substan-
 tiæ, nec est differendus donec sitis oriatur. Preparat
 enim stomachum ad suscipiendum cibum sequentem,
 & iuuat transitum cibi ad epar à stomacho: neq; ta-
 men sumendus est in magna quantitate, ut citò possit
 digeri. Nam. ne digestionem non transit ad epar. Et
 hoc uerum est, si potus delatiuus non fuerit aqua, in
 qua non est necesse expectare digestionem, ante pe-
 netrationem eius ad epar. Regulariter autem po-
 tus de-

tus delatiuus, uel etiam permixtiuus, non debet esse aqua, sed unum, uel aliquid uino proportionabile, ut cereuisia, uel potus ex cerasis, uel pomis, uel meli-cratum, ut simile quid, quibus tamen omnibus uinum est melius. Secundo sciendum est, quanto cibus est crassior, sicciior, & frigidior, tanto potum permix-tiuum & delatiuum maiorem esse debere: & con-trà quanto cibus est calidior, subtilior, & humidio-r, tanto potum delatiuum & permixtiuum mino-rem. Et quanto cibus crassior, frigidior, & digestioni inobediens, tanto uinum permixtiuum, uel delati-uum, subtilius & fortius. Et quanto cibus subtilior, calidior, & digestibilior, tanto potum esse debilio-rem. Vnde fortius uinum, tam cum carnibus bouinis, quàm pullinis bibendum est: & fortius bibendum est cum piscibus quàm carnis.

Secundum præceptum est, ut ouum edendum, sit Oua. molle & nouum, cuius ratio reddita est cap. 8.

DE PISIS. CAP. XXXIII.



DE CONSERVANDA

Pisam laudandam delegimus ac reprobendam,

Pellibus ablatis, est bona pisa fatis.

Sunt inflatiuæ cū pellibus atq; nociuæ.

Pisa. Hic agitur de pisis, quæ partim laudantur, partim uituperantur. Laudantur quidem ablatis corticibus, uituperantur uerò si unà cum corticibus & pellibus comedantur. Hoc namq; modo comestæ, plurimum flatulenti spiritus pariunt, ut ineptissimum censeri iam possit, si hoc modo edantur. Medullarum enim & corticum nature discordant. Alterum namq; uentris solutionem & deiectionem molitur; alterum obstruit & constringit, ut testatur Isaac in diætiis uniuersalibus. Vnde fit in corpore motus ag-

Legumina inflant tatiuus, inducens torturam & inflationem. Et hoc non pisis modò, uerum etiam omnibus leguminibus cõmune est, ut fabis, phaseolis, lentibus, & similibus, præcipuè tamen habentibus corticem crassiorẽ, ut fabis, & ciceribus nigris. Cortex etiam in omnibus est peioris nutrimenti quàm medulla. Est pisorum genus quoddam album, rotundum, paucioris & tenerioris corticis, quod tametsi citra noxam cum pellibus & corticibus edatur, præstat tamen ab iisdem repurgari. Legumina uiridia & recentia minus habent de cortice, & minor in eis diuersitas est inter corticem & medullam, & facilius digeruntur. Quare nonnullis placet ea magis conuenire sanis corporibus quàm matura & arefacta, sed non est ita, pluri

MARUM

marum enim sunt superfluitatum & substantiæ cor-
ruptibilioris, quare minus conueniunt corporibus sa-
nis. Matura uerò arefacta, & à corticibus extimis
expurgata, ad uictus salubris rationem magis faci-
unt quàm recentia, nondum excorticata. Viri-
dia autem arefactis non decorticatis salubriora in-
ueniuntur.

Porrò, quum omnium leguminum substantia in-
flet, concoctioni repugnet, crassique & prauis succi
alimentum in corpus diffundat, non iniuria à uictus
salubris ratione eximitur. Iusculum tamen eorum siue *Erbs*
decoctio eò quòd flatum cum omni & alimenti & *bru.*
concoctionis malitia deponat, uentrem subducat, uri-
nam cieat, uenarum obstructions tollat, non parum
commoditatis in uictus salubris ratione habere di-
gnoscitur. Cuius proinde usum frequentiore esse cõ-
uenit, quando crassis ac obstruentibus cibis utimur,
& corpora ieiunijs adfligimus. Decoquantur autem
hoc modo: Pisi, Cicera, reliquæ legumina, sub no- *Pisorum*
ctem in aquam feruentem immittuntur, ac primò qui *coctio.*
dem manibus diutinè confricantur: deinde in eadem
per totam noctem macerata temperantur: sequenti
uerò nocte duabus uel tribus ebullitionibus in eodem
liquore decoquantur. Ius decocti, colo transfunditur,
& ad usus reseruatur. De quo, ubi & quantum li-
buerit, accipiendum est, cumque Cinnamomo, & Cro-
co denuo præparandum, nonnihil uini addendo, ac
deinde unica ebullitione decoquendum, spumam au-

DE CONSERVANDA

ferendo, & sumatur in principio refectionis.

Iusculum uerò, siue brodium, ut uocant, cicerum
& pisorum alborum ac rotundorum, optimum cen-
setur, & naturæ conuenientius, quemadmodum &
tota eorum substantia.

DE LACTE. CAP. XXXIII.



Lacethicis sanum caprinum, post
camelinum,

Ac nutritiuū plus omnib. est asininum.

Plus nutritiuum uaccinū sit & ouinum.

Adhit si febris, caput & doleat, fugien-
dum est.

Lactis cle- Heic referuntur præcepta quædam de electio-
stio. ne lactis. Primum est, lac caprinum, hecticis, id est,
consumptis & maceratis, uel febrî hectica laboranti

Caprinum bus esse sanum, id quod testatur Auicenna 2. Canon.
cap. 444. Lac, inquit, caprinum, & lac asininum
sunt bona hectica. Et prima 4. Tracta. 3. cap. 6.
Ratio, qui lac caprinum, secundum Auicennam 2.

Canon.

Can cap. citato, temperatum est, & multi nutrimenti. Lac muliebre est subtilius, frigidius, humidius, **Muliebre** & nature humane, ut dictum est, magis cognatum, uelocius penetrat, citius digeritur, & magis nutrit. Et lac huiusmodi hecticis exhibendum, mulgeri debet, quantum fieri potest, proximè lectum infirmi, ut quàm minimo tempore in aère moretur, sed sine mora administratur, propterea quòd celerrimè mutari sit aptum. Sciendum tamen lac mulieris aut asine, non semper conuenire hecticis, imò aliquando lac acidum, siue cui butyrum detractum est, iisdem utilius est, quàm lac mulieris aut asine. Primo, quando cum hectica est solutio ueneris. Deinde quando est suspitio de coagulatione lactis in stomacho, uel de ardore uehementis febris, uel quando stomachus perse cholericus est, ut lac in choleram conuertat. Tertio, quando cum hectica coniunguntur putrida, & precipuè, cum in inferioribus fuerint multæ oppilationes. Nam lac acidū restringit uentrē, nec facile in choleram conuertitur, ut cui butyrum, per quod facile inflammatur, exemptū sit, Nec in putrida febre eadem ratione facile putrescit. Quarto, si stomachus fuerit sordidus, nam in hoc lac facillimè corrumpitur. Quinto si hecticus abominetur lac dulce ac integrū, acidū uerò siue à butyro seiunctū non exhorreat. **Vaccinū** tium est, lac uaccinū & ouitū magis nutrire, quia alijs pinguiora sunt, & crassiora, ut dicit Auicē. 2. Can. cap. 444. Lac inquit, omnis animalis, cuius præ-

gnatis

DE CONSERVANDA

gnatio prolixior est prægnatione mulieris, est ma-
lum: quapropter proportiōabile est illud, quod proxi-
mum est, sicut uaccinum. Rhaz uerò 3. ad Manso.
cap. 15. sic inquit. Vaccinum lac omni lacte cuius li-
bet alterius animalis crassius iudicetur, quod etiam o-
mnibus corporis pinguedinem adipisci uolentibus
conuenientius existit. Quartum est, lac nocere febrili-
tatem & caput dolentibus, cuius causa adsigna-
ta est cap. 7.

DE BUTYRO. CAP. XXXV.



Lenit, & humectat, soluit sine febre
butyrum,

Heic de butyri proprietatibus & uiribus agitur.
Prima est, butyrum lenire, mollificare ac lubricum
reddere uentrem sua unctuositate. Secunda est, buty-
rum humectare: quia ex melioribus partibus lactis
compositum est, & ita ei conuenit humectare, quem
admodum

VALET VDINE.

63

admodum & ipsi lacti, unde extrahitur. Tertia est sol-
uere uentrem, id est, aluum ducere, propter lubricita-
tem quam intestinis inducit. Et has proprietates
etiam ponit Auicen. 1. Can. cap. 117. Et inducit has
tres proprietates corpori nō febricitanti. Nocet enim
corpori febricitanti, quia propter unctuositatem fa-
cile inflammatur, & in febricitante calorem augmen-
tat. Sciendum tamen, quōd butyrum, etsi prædictas
proprietates obtineat, ratione tamen nimie humidi-
tatis & unctuositatis, non competit, ut cibus, præfer-
tim si usus eius immodicus fuerit. Ita namq; abomina-
tionem parit, & facit ut cibus in orificio stomachi su-
pernaret, & uentrem plus iusto laxat, uomitumq;
proritat. Nullo ergo modo butyrum comedendum est, Butyri uo-
ut cibus immodicè neq; immediatè post alios cibos, su-
sed ad condimentum cibariorum satis conuenit.

DE SERO. CAP. XXXVI.



Inciditq;

DE CONSERVANDA

Inciditq; lauat, penetrat, mundat quoq; serum.

Quatuor hic recensentur proprietates seri, id est, aquae lactis. Prima est, serum incidere, siue attenuare. Secunda, lauare, id est, abstergere. Tertia, penetrare, & haec sequitur ex prima. Quarta, mundificare, id est, soluere siue purgare. Et has proprietates refert Auicenna 2. Can. cap. 444. ubi sic scribit: Aqua eius est subtiliatiua, lauatiua, & solutiua, & in ipsa non est mordicatio. Rhazes uero 1. ad Mansorem cap. 15. Serum ait bilem expellit rubeam, scabiei quoq; ac pustulis, nec non & pustulis quae in facie nascuntur, ictericis etiam, atq; ei cui fortis uini potus nocuit, auxilium praebet.

DE CASEO. CAP. XXXVII.



Caseus est gelidus, stipans crassus quoq; durus. Caseus & panis bonus est cibus bene sanis.

Si non sunt sani, tunc hunc non iungito pani.

Casei proprietates

Hoc loco duo aguntur. Primo referuntur 4. proprietates casei, Prima est, caseum esse gelidum, id est, naturae frigidae, & hoc intelligendum de caseo

caseo recenti, qui frigidus est & humidus, & non de
 ueteri, qui calidus est & siccus, ut habet Auicenna 2.
 Canon. cap. 127. Potest item intelligi, qui ex sola coa-
 gulatione lactis conficitur, absq; alterius rei com-
 mixtione. Reperitur enim caseus calidæ naturæ,
 stomachum calfaciens, & linguam mordicans ob re-
 rum admixtarum commixtionem, uelut caseus qui-
 dam uiridis, qui si magna quantitate edatur, uehe-
 menter corpus excoalfacit: Secunda proprietas est,
 caseum stipare, id est, adstringere, & duram aluum
 reddere, & præcipuè ueterem ac multū coaguli ha-
 bentem. Tertia est, caseum esse crassum, id est, cras-
 sos generare humores, idq; nullo excepto. Omnis e-
 nim caseus ex crassiori et magis terrestri lactis substā-
 tia cogitur. Quarta est, caseum esse durum, id est,
 duritiem alui efficere. Et hæc eadem est cum secun-
 da. Deinde refertur, quòd caseus quamuis solus sum-
 ptus sit insalabris, cò quòd ægrè concoquatur, ut di-
 ctum est, attamen si modica quantitate misceatur pa-
 ni, cum ipso pane fieri digestibilem, aliàs non, & hoc
 in corpore sano, in ægro uerò minimè. Plura lege de
 hoc supra cap. 9.

CASEVS LOQVITVR.

Ignari medici me dicunt esse nociuum:
 Sed tamen ignorant cur nocumenta
 feram.

(Opem.

Languenti stomacho caseus addit
 Si post sumatur terminat ille dapes.

Qui

DE CONSERVANDA

Qui Physicen non ignorant hæc testifi-
ficantur.

Duæ recensentur utilitates sumpti casei. Prima est, caseum conferre stomacho ægotanti: ubi tamen notandum, non quemuis caseum cuiuslibet languenti stomacho opem perferre, sed in certis quibusdam casibus omnem caseum nocere, nimirum stomacho rare texture, & cuiuslibet stomacho ex longa ægritudine debilitato. Cæterum caseus recens & nouus, pauca uiscositatis calido stomacho opitulatur: quia Rhaze 3. ad Mansorem, cap. 15. teste, adustionem & caliditatem eius reprimit. Confert etiam, propter humiditatem suam stomacho sicco. Talibus uerò stomachis ad modum nocet caseus antiquus, uel ualde acutus, & multi coaguli. Sed stomacho cuius pelliculis multa adherent phlegmata, plurimum conducit caseus antiquus, uel multi coaguli, acrimonia enim sua phlegmata incidit & abstergit. Contra uerò huic recens

Casei usus. & mollis caseus maximè nocet. Secunda est, caseum sumptum à cibo ipsum terminare, facit enim descendere cibum in locum ubi uiget digestio, id est, ad fundum stomachi. Ita scribit Rhases 3. ad Mansorem, cap. 15. Veruntamen cum post comestionem, parua ex eo sumitur quantitas, os stomachi corroborat. Sati-
cietatem quoq; nimiam, atq; fastidium, quæ ex dulcibus & unctuosus in ore stomachi proueniunt cibis, au-
fert.

DE MODO EDENDI ET BIBENDI. CAPVT XXXVIII.

INter prandendum sit sæpe parumq; bibendum,

Vt minus ægrotes, non inter fercula potes.

Hoc capite duo præcipiuntur. Primo, ut inter prandendum fiat alternatio quædam edendi & bibendi, id est. ut inter edendum alternatim sæpius parum bibatur, neq; eo usq; differatur potus dum uenter cibo expleatur, ut dictum est. cap. 32. Secundo uerò, ut inter prandium & coenam, quoad eius fieri potest, potus euitetur, & hoc si cibus sumptus in stomacho nondum digestus fuerit, nisi magna cogente necessitate. Impeditur enim & interrumpitur primò sumpti cibi digestio, ac indigestum eum è stomacho descendere contingit, appetitus deiicitur cibi in cœna sumendi, corpus grauatur, & ad dispositionem in qua homo neq; sanus, neq; æger est, inclinatur, siue qualis ea est, quæ febrim præcedere solet:

Vt uites pœnam de potibus incipe cœnam.

Heic docetur, cœnam inchoandam esse à potu. Sunt qui hoc modo exponant. Si uis uitare pœnam, id est, infirmitatem, prius bibas in principio cœnæ quàm comedas: sed hæc expositio inepta est prorsus ac inualida. Secundum medicos etenim conducibilius

DE CONSERVANDA

est, à cibo cœnam auspicari quàm potu. Nec ipsi Angli, quibus præsens liber dicatus est, istum morem siue consuetudinem seruant. Communiter enim quacumq; dici hora bibere uolucrint, bolum siue morsum panis præsumunt. Videtur itaq; hunc habere sensum: Incipe cœnam à potu, id est, à cibo liquido, & facîle digestibili, quemadmodum & Hippo. 2. lib. Aphor. 11. potum usurpauit, ubi sic inquit: Facilius est impleri potu quàm cibus. Ratio autem hæc est, quia si cibus liquidus & facîle digestibilis postremo sumatur loco, cum nocte superueniente fortificetur calor digestiuus, cibus ille liquidus & facîle digestibilis longe ante digereretur quàm crassus & cõcoctu difficilis. Qui non inueniens exitum ob cibum crassum nondum digestum, minus aduretur: uel si exierit crassum cibum, nondum ad plenum digestum secum corripiet. Melius est ergo, ut cibus liquidus & facîle digestibilis præsumatur, ut digestus exitum habeat, nullo repugnante.

Post pisces nuces, post carnes caseus adfit.

Vnica nux prodest, nocet altera, tertia mors est.

Hoc loco duo imprimis traduntur præcepta.

Primum, ut post esum piscium, casei loco sumantur nuces. Nux enim siccitate sua, impedit generationem phlegmatis, quod ex piscibus generari solet, hinc etiam in ieiunio quadragesimali, summo loco exhibe-

Nuces
post pisces.

exhibentur nuces. Alia ratio, quia pisces, quandoq; ueneni nonnihil in se continent, difficulter concoquuntur & facillè putrescunt ac corrumpuntur. Noces uerò iuuant digestionem, quia sunt mediocriter calidæ. Alia, Qui quando sunt ueneni, ut dictum est, statim nux remedium præstat contra uenenum. Ergo pisces temperantur per nuces, & sic sanum est, sumere nuces post pisces.

Secundum, ut post esum carniū sequatur caseus, non nuces. Caseus enim facit ut cibus descendat ad fundum stomachi, ubi uiget digestio. Et hoc intelligendum de caseo, medium inter recentem & ueterem locum sortito. Deinde posteriore uersu ostenditur, quòd unica nux, scilicet myristica, natura hūane proficit, bonum enim odorem oris efficit, uisum, epar, splenem, & stomachum confortat, & maxime orificium eius. Secundum Auicennam 2. Canon. cap. 306. Sed altera nux, scilicet auellana siue communis nocet. Auellana quidem, quoniam in ipsa inflatio est, & generat uentositates in uentre inferiori, & facit sodam, id est, dolorem capitis, tardæ est digestionis, & excitat uomitum, inquit Auic. 2. Can. cap. 41. Nux uerò commuuis, quia et ipsa facit sodā, difficulter digeritur, infesta est stomacho et maxime calido, ob caliditatem suam. Diosc. lib. 1. ca. 141. Tertia nux, scilicet balistæ, est mors, id est, mortē infert, hac enim homines interficiuntur. Vel intelligi potest de nuce mæ

Caseus:

Auellana:

DE CONSERVANDA

thel, quæ autore Auicē. 2. Cano. cap. 512. uenentum
est stupefactiuum, citò mortem inferens, de qua plu-
ra Rhazes 3. ad Mansorem cap. 30. Serapion cap.
865. de simplici.

Singula post oua, pocula sume noua.

Heic precipitur ut post cuiuslibet oui recentis
& mollis esum, sumatur haustus, & maximè uini. O-
uum enim recens & molle optimi est nutrimenti &
facilis digestionis, parua quantitate corpus plurimo
reficiens nutrimento. Quod tamen excellentius præ-
stat uitellus eius, ut dictum est cap. 8. Quare uinum,
cùm sit amicum naturæ, facit ut ouum auidius ad
membra trahatur, & citius penetret. Alia causa. O-
uum tardè per meri descendit, quare potus siue ui-
num iuuat eius descensum.

DE PYRIS. CAP. XXXIX.



A Dde pyropotum, nux est medici-
na ueneno.

Fert

Fert pyra nostra pyrus, sine uino sunt
pyra uirus.

Si pyra sunt uirus, sit maledicta py-
rus.

Cum coquis, antidotum pyra sunt, sed
cruda uenenum.

Cruda grauant stomachum, releuant
pyra cocta grauatum.

Post pyra da potum, post pomum uade
cacatum.

Ecphrasis.

Primo uersu docetur post esum pyrorum sumen- Pyra.
dum esse potum uini. Cuius causa reddita est supra
cap. 7. Quia pyra generant uentositates & cholicā,
sanguinem aquositate replent, unde conuenienter cum
eis bibitur uinum, idq; forte & calidum, hoc enim
uentositates discutit, & aquositatem ex esu pyro-
rum consumit. Secundo dicitur, nucem esse medici-
nam ueneno, id est, remedium contra uenenum, ut di-
ctum est cap. 13. Secundus autem & tertius uersus in-
dicant pyra absq; uino sumpta esse uenenum, id est,
natura nocere, cuius causa reddita est primo uersu.
Attamen non sunt simpliciter uirus, id est, uenenum,
ita enim comesta, mortem inferrent, ac proinde py-
rus ea producens esset maledicta & excidenda.
Quarto uersu innuitur pyra cruda esse uenenum, id
est, nocumentum inferre, faciunt enim ebullitionem
humorum colicam, phlegmata & scabiem. Si tamen

DE CONSERVANDA

coquuntur, fiunt antidotū, id est, medicina, eo modo quo dictum est supra, cum uino, & maxime post alios cibos sumpta, ita enim adiuuant ficum expulsionem. Quanto uersu dicitur pyra cruda grauare stomachum. Impediunt enim digestionem & inflant, sed cocta releuant ac reficiunt stomachum grauitum, pristinoq; uigori restitunt, Vltimus uersus, duo coninet, primo scilicet, ut post esum pyrorum, sumatur haustus uini, ut dictum est. Deinde uero, ut post esum pomi alui excrementa deiciantur. Auicenna. 2. Canon. cap. 309. Poma inquit, dulcia & acetosa, quando in stomacho inueniunt humorem crassum, quandoq; dponunt ipsum in egestionem. Potest etiam hæc assignari ratio, quia poma uehementer inflant, uentositatem generant, qui per secessum emititur.

DE CERASIS. CAP. XL.



Si cerasum comedas, tibi confert grandia dona.

Ex

Expurgat stomachum, nucleus lapidem
tibi tollit.

Hinc melior toto corpore sanguis in
est.

Ecphrasis.

Heic enumerantur tria commoda ex esu cerasa-
forum. Primum est, cerasa expurgare stomachum. Cerasa.
Quod quibusdam uerum uidetur, si unà cum eis nu-
clei conterantur, hoc enim modo abstergunt & e-
mundant. Secundum est, nucleum cerasorum pe-
culiari proprietate, frangere lapidem in renibus, siue
uesica, si succus eius sumatur, uel lac inde fiat.

Tertium est, carnem cerasorum optimum gene-
rare sanguinem, confortare & impinguare. Et
hoc experientia comprobatur: uidemus enim passe-
res, qui plurimum cerasis delectantur, eo tempore
quo cerasa matura sunt, longe maiora habere epa-
ta, quàm aliàs. Vnde colligitur cerasa epar au-
gere & confortare. Heic notandum duplicia esse
cerasa: crassa scilicet, & parua. Crassa rur-
sum duplicia, dulcia nimirum, & Pontica. Dul-
cia omnia & parua insalubriora sunt: facile cor-
rumpuntur in corporibus uermes generantia. Crassa
Pontica, Cina uocantur, quæ & ipsa dulcia inue-
niuntur, Quædam enim rubra sunt & mollis carnis,
quæ recentia sunt edenda in principio mensæ: uim ha-
bent abstergendi stomachi, & ciedi appetitus. Alia cina

DE CONSERVANDA

nigra sunt & crassa, dura carnis, & maximè omnium Pontica. quæ summo loco in prandio siue coena edenda sunt, quia ponticitate sua in fine mensæ claudunt orificium stomachi, eoque clauso digestio melius & citius peragitur.

DE PRVNIS. CAP. XLI.



FRigida sunt, laxant, multum profunt tibi pruna.

Ecphrasis.

Dua hoc loco adsignamur utilitates prunorum.

Prima est. Pruna in frigidare corpus. Quare & Portugalenses, cum sint in calidare regione, decoctioni carniū suarum semper commiscunt pruna, & maximè Damascena.

Secunda est, pruna humiditatis ac lentoris sui gratia uentrem subducere: autore Gale. lib. 2. de alimen. facul. id quod de prunis maturis intelligendum est. Crudis enim stypticitas inest, ut testatur Auicenna 2. Can. cap. 541. Et minimum

alimenti

alimenti corpori præstant. Et hæc secunda utilitas, licet multum conueniat prunis Damascenis, quemadmodum & prima, maximè tamen conuenit prunis allatis ex Armenia, quæ reliquis omnibus meliora sunt, & uehementius soluunt, ut testatur Auicenna loco citato. Sciendum autem pruna matura ex usu esse, immatura minimè. Probatissima in his, & nature Prunorum conuenientiora sunt, figuræ oblongæ, carne pauca electio, & dura, nonnihil siccitatis participantia. Cortice exteriori tenui, sapore non prorsus dulcia, sed acorem aliquem aut acerbitatem præferentia, cuiusmodi sunt Damascena, hæc enim humectant, & refrigerant mediocriter: Sunt porro & aliæ multæ prunorum species, quorum tamen usus non est approbandus. Sunt etiam prunella quædam syluestria, parua, dura, acerbaq; & in cibo permolesta, & uentri mouendo idonea: ex quibus fit aqua ad uentrem sistendum commodissima. Conuenit autem ut pruna, pro uentris solutione exhibenda, primò, in aqua frigida, ad breue tempus macerentur. Hoc enim modo præparata magis refrigerant & humectant, choleram inuentam lubricando soluunt: stomachum melius cibo recipiendo disponunt. Pruna humida, recentia, magis alterant: quamuis sint peioris nutrimenti, ac plurimum superfluitatum, siccæ magis confortant, & melius alimentum corpori præstant. Et quod dictum est de prunis, aliquo modo etiam intelligatur de cerasis: attamen cerasorum humiditas subtilior est, & minus uiscosa: unde minus nutriunt quàm pruna.

DE CONSERVANDA
DE PERSICIS, RACEMIS,
& Passulis, CAP. XLII.



Persica cum musto uobis datur ordi-
ne iusto,
Sumere, sic est mos nucibus sociando ra-
cemos.
Passula non spleni, tussi ualet, est bona
reni.

Ephrasis.

*Triahoc loco traduntur praecepta. Primum
est, ut unà cum Persicis bibatur mustum, uel cum mu-
sto exhibeantur Persica. Mustum enim excelscit plu-
rimum, & ebullitionem in corpore facit. Persica ue-
rò fr-*

rō frigiditate sua hanc ebullitionem & calfactionem
 tollunt: Persicis contrā, quia uehementius refrige-
 rant, meritō adhibetur mustum, hoc enim calore sua
 frigiditatem eorum, ne stomacho noxam inferant,
 cōtemperat & mitigat. De Persicis dictum est suprā
 cap. 7. Secundum est, ut racemi edamur cum nu-
 cibus, quod equidem de nucibus siccis & antiquis in-
 telligendum est. Virides enim & recentes nuce, per
 se salubres censentur, Antiquæ uerō & siccæ excel-
 lenter exiccant, & propter unctuositatem suam fa-
 cile in corpore inflammantur: quare unā cum eis ra-
 cemos edere conuenit. Hi enim inflammationi & ex-
 iccationi humiditate sua resistunt. De nucibus copio-
 se dictum est cap. 13. Tertium est, Passulas, id est,
 uuas passas officere spleni, quia obstruunt eum: Vti-
 les autem sunt renibus, urinam enim prouocant, re-
 nes lauant, & abstergent. Renes namq; multa aquo-
 sitate ad sese ducta mundantur. Et de his satis dictū
 est suprā cap. 9.



DE FICVBVS.
CAP. XLIII.

Scrofa, tu-
 mor, glan-
 des, ficus, cata-
 plasmate ce-
 dunt,

Iure

DE CONSERVANDA

Iunge Papauere ei contracta foris tenet
ossa.

Ecphrasis.

Hic duæ recensentur commoditates ex empla-
stro ficuum. Prima est, ficum decoctam in aliquo li-
quore, uidelicet in aqua, & superpositam humidam,
curare hasce tres ægitudines. Scrophulas nimirū,
glandes, & tumores. Per scrophulas uerò, quas græci
χοιρῶδες, latini strumas uocant, intelliguntur in-
flationes sub mento circa collum. Dicitur scrofula à
scrofa, id est, sue, siue porca, uel quòd hæc ægritudo
porcis, ob uoracitatem plurimum accidat. Vel quòd
figura eius ut plurimum porcis ad similetur, teste A-
uicenn. Phen. 3. 4. Tracta. 2. cap. 9. Per glandes uerò
intelliguntur apostemata, quæ frè sub axillis & in-
guinibus enasci solent. Per tumores possunt intelligi
inflationes in qualibet corporis parte. Et hisce apo-
stematibus curandis & maturandis decoquenda est
ficus in aqua, ipsi aquæ commiscendo parum aceti.
Hoc enim ad penetrationem uirtutis ficus plurimum
facit. Decoctione autem facta, ficus in mortario con-
terende sunt, ac deinde aquæ in qua ebullierunt com-
miscende. Cataplasma propriè uocatur medicamen-
tum confectum ex plantis uiridibus contusis, uel iisdem
ad mollitudinem usq; in aqua decoctis. Vnde uersus:
Tunc cataplasma facis, cum succum ponis & her-
bam.

Secunda est, ficum cum papauere in cataplasma
redactam

reductam retinere ossa fracta. Simul autem decoquenda sunt in aqua absq; aceto, ac deinde conterenda: hinc aqua decoctionis eorundem addenda, & ita superponenda. Causa uidetur esse, quod papauer stupefaciat, unde tollitur dolor, qui accidere solet in fractione ossium, & prouocet somnum. Ficus quoq; trahit humiditates ad exteriora, quibus ad ossa attractis illa retinentur quidē & sanantur, sed nunquam ferē coalescunt. Nonnulli pro, tenet, trahit, habent, & ita sensus est melior. Papauer porrò triplex est, album scilicet, nigrum, & rubrum. Rubrum syluestre, est uenenosum, in aruis inter frumenta nascitur. Iuuenes solent conterere folia florum, & inde conficere atramentum.

Vermiculos, ueneremq; facit, sed cuius Pediculos bet obstat.

Ecphrasis.

Duæ heic traduntur operationes ficuum. Prima est, ex comestione earum, in corpore humano uermiculos, id est, pediculos nasci. Et hoc maximè intelligendum de ficubus siccis, ut refert Auicenna. 2. Canon. cap. 233. Causa est, prauitas & corruptio humoris inde generati. Vel alia causa adsignari potest, quod scilicet ficus multum sudorem prouocent, unde sequi solet interdum pediculorum generatio. Secunda est, quod ficus appetitum moueat coëxandi, generant enim uentositatem, qua erigitur uirga, suntq; multa

DE CONSERVANDA
multarum superfluitatum, & sperma augmentandis
DE AESCVLIS. CAP. XLIII.



Multiplicant uictum, uentrem dant
æscula strictum,
Escula dura placent, sed mollia sunt me-
liora.

Nespila. Recensentur hoc loco due esculorum utilitates.
Prima est ea multiplicare mictum siue urinam. In-
ducunt enim feces, & ita fecum aquositas multitudi-
nis urine caussa est. Vel potest reddi ratio similis illi
quæ

quæ habetur apud Hippoc. lib. 4. Aphorif. 83. Mi-
ctio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem: & uice uersa. Caussa est, teste Philotheo, quoniam multa eademq; collectior facta est digestio in epate, & ex aduerso materia deriuauit, & ob hoc multa urina deducta est, parum autem stercoris: & uice uersa, si multa stercoris deiecto fiat, pauca erit per urinam, ob eandem causam, quoniam pauca facta est digestio. & ob hoc pauca etiam urina. Secunda est, escula constipare uentrem, & hoc accidit ob stypticitatem & ponticitatem eorum. Ex quo infertur escula dura esse bona, quia constringant uentrem, & ob id prodesse uentri nimium laxato, sed mollia escula duris prestare, quia nutriant, & uentrem minus adstringant.

Sciendum tamen, escula minus conuenire ut alimentum quàm poma, pyra, Persica, ficus, & similia, quod satis deprehenditur ex austeritate saporis & duricie, substantiæ postquam in arbore maturuerunt. Parè itaq; eis, & magis ut medicamine, quàm cibo, utendum. Ob stypticam tamen facultatem, quam ualidissimè in sese continent, plurimùm in uentris fluxu sistendo ualent. Sed quia in arbore minus quàm ut edi possint mollescunt, ante quàm præmollienda sunt, ita namq; stypticitatem remittunt, & sapidiora fiunt.

DE MUSTO. CAP. XLV.

Prouocat urinam mustum, citò soluit, & inflat. His

DE CONSERVANDA



Hic tres musti uirtutes referuntur. Prima est, ipsum ciere urinã, quia insunt in eo feces terreae, & nitrosae, ac proinde cum in uesicam descenderint, ipsam mordicant, quare uesica eas citius expellere nititur. Intelligendus est autem uersus de musto, habente feces mordicantes, & non quolibet: cuiusmodi nõ nulla esse deprehenduntur ex Rhenensibus. Mustum enim cuius feces crassae sunt, non mordicantes, oppilando urinam magis impediunt, ut dictum est cap. 26. Secunda est, Mustum citò soluere siue laxare uentrem, idq; ob eandem causam, quae iam dicta est. Tertia est, Mustum parere inflationes, & hoc propter ebullitionem quam in corpore facit: Inde enim proueniunt uentositates. Sed de his omnibus satis cap. 26.

DE CEREVISIA ET ACETO.

CAP. XLVI.

CRassos humores nutrit cereuisia, uires
Præstat, & augmentat carnem, generatq;
cruorem. Pro-



Prouocat urinam, uentrem quoq; mol-
lit, & inflat.

Frigidat & modicum, sed plus deficcac
acetum.

Frigidat, emaceratq;, Melanch. dat, sper
ma minorat,

Siccis infestat neruos, & pinguia siccac.

Octo imprimis hoc capite recensentur proprie-
tates cereuisiæ. Deinde agitur de quinque proprietati-
bus aceti. Prima ergo cereuisiæ proprietas est,
quòd in corpore crassos gignat humores. Idque maxi-
mè respectu uini. Secundum materiæ uerò uarieta-
tem unde conficitur, alias atq; alias in sese uel incre-
sandi, uel extinuandi humoris rationes adsumit. Cere-
uisia enim ex crassiori substantia, crassiores humo-
res generat, ex tenuiori uerò, tenuiores. Secunda
est, cereuisiam augmentare uires, id quod intelligen-
dum de cereuisia ex optimis granis confecta, & pro-

DE CONSERVANDA

bè cocta, cuiusmodi est cereuisia Ostiensis. Hæc enim multum nutrit, & uires auget.

Tertia est, augmentare carnem, & hoc propter multam eius nutritionem. Quarta est, multiplicare sanguinem, eadem de caussa. Et hæ tres ultimæ proprietates ueræ sunt, si intelligantur de cereuisia antiqua, probè cocta, & ex optimis granis confecta. Quinta est, prouocare urinam. Sexta, laxare uentrem, Quæ duæ proprietates potissimum intelligendæ sunt de cereuisia clara, cui plurimum lupuli incoctum sit, cuiusmodi est cereuisia Hamburgensis, quæ prouocat urinam, & laxat uentrem propter lupulum. Minimè tamen conuenit hominibus imbecillioris cerebri, facile enim ex ea ob lupuli multitudinem inebriantur. Septima est, inflare uentrem: quod intelligendum de cereuisia cui decoctione cocta: cuiusmodi est Coyta Hollandiæ, quæ maximè inflat & oppilat, plurimumque impinguat. Octaua est, cereuisiam nonnihil in frigidare, cuiusmodi est Cereuisia Hollandiæ, Brabantiæ, Hannoniæ, & Flandriæ, qua plebei uulgares utuntur. Et hæc proprietas potissimum ueritatem habet, si ad uinum respicias.

**Cereuisiæ
confectio.**

Sciendum autem, cereuisiam fieri posse ex auena, hordeo & frumento. secundum uerò materiæ rationem, diuersa ei inducitur qualitas & constitutio. Nam quæ conficitur ex hordeo, frigidior euadit, quia hordeum frigidum est. Quæ autem ex hordeo

Et auena, minus oppilat, minus uentositatum generat, minusq; nutrit. Quæ ex frumento, calidior existit, magis nutrit, & magis oppilat.

Cereuisia quo crassior, eo deterior, & quanto subtilior, tanto melior. Pessima cereuisia quæ conficitur ex rebus inebriantibus, utpote ex lolio, hæc enim maxime capitis dolorem generat, & nervos lædit.

Secundo deinde loco recenseantur quinque proprietates aceti. Prima est ipsum exiccare, quia est fortis exiccationis, autore Auicenna lib. 2. Taft. 2. cap. 78. Quare Medici præcipiunt, tempore pestis uti aceto in cibo & potu. Auicenna enim 3. 1. doct. 5. cap. 1. de eo sic inquit: Aceto præterea in cibo & potu uti in pestilentia, est nocumenti ipsius securatio. Secunda est, acetum ex proprietate infrigidare. Tertia est, emacerare hominem, id est, macrum reddere, Quia exiccat, & hoc maxime uerum est, si intelligatur de aceto, quod ieiuno stomacho sumitur, ut test. Auic. Phen. 3. 1. doct. 4. ca. 5. Assiduus tamen usus aceti in ieiunio, multa incommoda adfert, uisum enim debilitat, pectus offendit, tussim comouet, stomachum, epas, nervos, & iuncturas uehementer lædit. Iuncturas quidem articularib. dolorib. tremorib. & paralyssi infestans. Quarta est, Acetum generare melancholiam, humores enim infrigidat et exiccat. Quinta est, acetum imminuere, et extinguere sperma, quia exiccat, infrigidat, et emaciat. Et has proprietates aceti, refert Rhaz. 3. ad Mans. ca. 17. Acetum, inquit, frigidum est, et

DE CONSERVANDA

ficum, quod & maciem efficit, & uirtutem destruit, sperma quoq; minuit, bilemq; corroborat nigram, rubeam uerò bilem, & sanguinem debilitat, cibosq; quibus admiscetur, subtiliat.

Vltimo uersu tria comprehenduntur. Primum est, acetum nocere macris, Ratio, quia exiccat, & ita maciem auget. Simile enim additum suo simili, facit ipsum furere, & constitutio lapsa, per contrarium curatur, per simile uerò deterior redditur. Secundum est, acetum nocere neruis, ut dicit Auicenna. 2. Can. cap. 78. Tertium est, acetum emaciare pingues, cuius ratio iam reddita est.

DE RAPIS. CAP. XLVII.



Rapa iueat stomachum, nouit producere uentum.
Prouocat urinam, faciet quoq; dente
ruinam.

Si

Si malè cocta datur, sic tortio tunc generatur.

Hic tria enumerantur imprimis raporum commoda, siquidem probè percoquantur, & unicum deinde nocumentum. Primum commodum est, rapa iuuare stomachum, ut quæ facile digerat ac ferat. Secundum est, rapa inflationes parere, quod quidem experientia comprobatur. Tertium est, prouocare urinam. Auerois præterea testatur mirabilem habere proprietatem, ad illuminandos oculos. Nocumentum uerò raporum est, quod frequens eorum comestio dentibus noceat.

Vltimo porrò uersu traditur, rapa crudiora Rapa. torsiones & tormina parere, inflant enim uehementius, & stomachum infestant, nonnunquam etiam mordent illum, teste Galen. lib. 2. de alim. facul unde uersicalus uulgatus:

Ventum sæpe rapis, si tu uis uiuere rapis.

Caudæ raporum fortiter uentrem soluunt. Inter radices omnes, quæ quidem edendo sunt, rapa maxime conueniunt corporis nutritioni, quod satis ex saporis iocunditate deprehenditur. Hæc enim natura est omnium eduliorum, ut amara & pungitiua minus alimentum corpori præstent, Dulcia uerò maius. Rapa autem cum radicibus alijs sunt dulciora, minusq; pungant, consentaneum est, maius alijs præstare alimentum, magisq; in uictus salubris ratione conuenire, Attamen sanguinem generant crassum, & melans

DE CONSERVANDA

cholicum, si digestiua uirtus imbecilla fuerit. Conuenit aut ut à prima decoctionis aqua sequestrata, bis percoquantur. Cruda enim nullo modo sunt edenda. Venerem stimulant, & urinarios meatus emundant.

DE MEMBRIS ANIMALIUM.

CAPVT XLVIII.



Egeritur tardè cor, digeritur quoq;
durè,

Atq; idem stomachus, tamen exteriora
probantur.

Reddit lingua bonum nutrimentum me-
dicinæ,

Concoctu facilis pulmo est, citò labitur
ipse.

Est melius cerebrum gallinarum reli-
quorum.

Quinq; adnotantur hoc loco de membris animali

um. Primum est, cor tardè & digeri, & per inte Cor.
stina descendere. Caro enim eius melancholica est, cu
ius natura est agrè concoqui, & tardissimè deijci.
Gal. lib. 3. de alim. facul. Cor substantia sua fibrosa du
raq; est caro, ideoq; non sine magno negotio confi
ci potest, tardeq; commeat. Rhazes 3 ad Man. ca. 11.
Cor, inquit, calidum est, & dura substantiæ, quod
& tardè digeritur, neq; multum nutrit.

Secundum est, & stomachum similiter malè esse Stoma
concoctionis, & tardi descensus. Est enim membrum chus.
neruosum & cartilagosum, neq; generat bonum
sanguinem. Additur tamen: eundem in extremitatib.
nimium in fundo & orificio facilius concoqui, in il
lis etenim partibus magis carnosus est, et pinguior.

Tertium est, linguam esse boni nutrimenti, & ma **Lingua.**
ximè circa radicem, teste Auic. 2. Can. cap. 146. Ra
tio, quia facilis est concoctionis & carnosæ. Inter o
mnium animalium linguas faciliè primam laudem obs
tinet porcellorum, hæ siquidem ablata pellicula cir
cumcingente, carni aprinæ æquiparantur, id quod
structores & prægustatores principū nō ignorant.
Lingue bouinæ, ob nimiam humiditatem parum in
uictus salubris ratione comedantur: quare Apitij et
delicatuli ijs usuri, antequam assentur, inserunt ga
ryophilla, quo humiditas illarum temperetur, & e
dendo aptiores fiant.

Quartum est pulmonem faciliè concoqui, & per **Pulmo.**
intestina descendere, idq; obrarritatem & mollitiem.

DE CONSERVANDA

Veruntamen nutrimentum non satis conuenit nature humane, quia exiguum est, & phlegmaticum, ut testatur Auic. 2. Can. cap. 568. Pulmo autem aridus, licet minime ut cibus conueniat, bona tamen medicina est, quia sanat excoriationem calcanei ex calciamento, si calidus imponatur, teste Auic. ibidem.

Cerebrū. Quintum est cerebrum gallinæ, inter omnia esse præstantissimum, de quo Auic. 2. Can. cap. 129. scribit, conferre fluxui sanguinis narium. Cum sale autem & speciebus comedenda sunt, Pituitosa existunt, & nauseam concitant. Pullorum uerò cerebra, scribunt medici, conferre memoriæ. Cerebra porcorum nature sunt inimica, sed cerebrum ouis, leporis, & cuniculi, cum sale & speciebus edi conceditur. Plura de hoc supra cap. 9.

DE SEMINE FOENICULI. CAPVT XLIX.

Semen Fœniculi pellit spiracula culi.

Fœniculum.

Hic agitur de semine Fœniculi, quod Marathrum græcis dicitur. Expellit hoc, & dissoluit uentositates, quia calidum est, & siccum, ac carminatiuum. Ex esu uerò seminis fœniculi, utilitates promanant. 4. Primo enim confert febribus, deinde pellit uenenū. Tertio mundificat stomachum. Quarto uisum acuit, unde uersiculi uulgati:

Bis duo dat Marathrum, febris fugat atq; uenenū,
Et puro

Et purgat stomachum, lumen quoq; reddit acutū.

Harum utilitatum meminit & Auicenna 2. Canon, cap. 281. ubi inter alia refert & Democritum existimasse, uermes uenenosos, siue serpentes, recentis Fœniculi semine pastos, senectam exuere, oculorumq; aciem, succo eius reficere, ubi uerno tempore cauernas suas reliquerint. Vnde intellectum est, hominum quoq; caliginem præcipuè eo releuari, inquit Plini. lib. 20. cap. 23. Legatur idem lib. 8. cap. 27. & lib. 19. cap. 9. Nicander sub exordium theriacorum: Non tamen ut cibo fœniculo utendum est, sed magis ut medicamine, tardius enim digeritur, prauum & exile nutrimentum præstans. Adhiberi autem aliquando solet ad corrigendam quorundam ciborum prauitatem & maliciam: quemadmodum enim lactucæ additur interdum petroselinum, ut frigiditas & humiditas eius contemperentur, ita & fœniculus nonnunquam unâ cum cucurbitis, aut rapis concoquitur, ad malitiam eorum imminuendam.

DE ANISO. CAP. L.

EMendat uisum, stomachum confortat Anisum,

Copia dulcoris anisi fit melioris.

Hic duæ referuntur utilitates anisi. Primum est confortare uisum. Secundum uerò & stomachum. Anisum enim emundat stomachum à phlegmatibus, & calfacit. Eadem etiam ratione confert uisui, quis

Anisum³

DE CONSE RVANDA

nihil equè nocet uisui ac immundities stomachi, quia à stomacho immundo eleuantur fumi immundi, qui oculis nocent, pœrturbando spiritus uisuos, & hæc maximè præstant Anisum dulce. Præter has Auicenna 2. Canon. capit. 1. longè plures utilitates recenset. Anisum, inquit, est apertiuum, dolorum sedatiuum, uentositatum resolutiuum, abscindit sitim, factam ex humiditatibus falsis, & confert oppilationi epatis & splenis, generatæ ex humiditatibus. Prouocat urinam & menstrua, emundat matricem à fluxu humiditatum albarum, uenerem stimulat, & aperit oppilationes renum, uesicæ & matricis.

DE SPDOIO. CAP. LI.

SI cruor emanat, spodium sumptum cito sanat:


Spodium. Traditur hoc loco Spodium sanare fluxum sanguinis; habet enim uirtutem propriam confortandi epatis. Epate autem, qui fons & origo est sanguinis, corroborato, melius ab eodem sanguis retinetur. Auicenna 2. Canon. cap. 617. testatur spodium esse radices cannarum adustas. Dicitur enim, inquit, quòd ipsæ aduruntur propter fricationem suarum extremitatum, cum uentus eas prestat. Simon uerò Ianuensis dicit Spodium esse rem, cuius origo nos lateat. Rest. uen adusta uidetur, & diuisiones cannarum adustarum. Confert autem non modò nimio sanguinis

Sanguinis fluxui, uerum etiam uentris, & uomitui, teste Rhazez. ad Mansorem cap. 36. Confert etiam febris acutis, & siti, confortat cor, & confert tremori eius calido, & syncope facta ex effusione cholerae ad stomachum, ut habet Auicenna loco citato. Et sicut spodium rationem habet siue respectum epatis, ipsum confortando, ita sunt & aliae medicinae quae habent similem aspectum & proprietatem confortandi alia membra singularia, ueluti Macis cor, Moschus cerebrū, Glycirrhiza pulmonem, capparitis splenem, & galanga stomachum, unde uersus:

Gaudet epar spodio, mace cor, cerebrum quoq; Moscho.

Pulmo liqueritia, splen. cap. stomachusq; galanga.

DE SALE. CAP. LII.



VAs condimenti praeponi debet edenti.

Sal uirus refugat, rectè insipidumq; saporat, Nam

DE CONSERVANDA

Nam sapit escamalè, quæ datur absq;
sale,

Vrunt res falsæ uisum, semenq; mino-
rant.

Et generant scabiem, prurimum siue ri-
gorem.

Hoc loco tria discutiuntur. Primo ponitur præ-
ceptum generale, nemini hactenus non obseruatum,
ut uidelicet uas condimenti, id est, salis, quod sali-
num dicitur, primum in mensa apponatur, iuxta uul-
gatos hosce uersiculos:

Sal primò poni debet, primoq; reponi,

Non bene mensa tibi ponitur absq; sale.

Sal. Secundo recensentur duo eommoda salis. Pri-
mum est, salem resistere ueneno. Cuius duplex po-
test adsignari caussa, uel quia sal exiccatum cum sit,
siccitate sua exiccet humiditates, unde sequi solet cor-
ruptio. Galenus libro 11. de simp. Med. facult. Nam
sal, inquit, quicquid in corporibus humidum inest, id
quodammodo absumit, & quod reliquum est substan-
tiæ solidæ, adstrictione contrahit, ac proinde etiam
conditura sua carnes seruat, & à putredine tuctur:
uel quòd sal exiccet & reprimat humiditates à cor-
pore extrahendas, porosq; claudat, & per conse-
quens penetrationem ueneni, quæ fieri solet per po-
ros, prohibeat. Secundum est, salem cibus sapor-
em inducere. Nam quotidiano discimus experimen-
to, nulla cibaria sine salis commixtione sapere.

Tertio

Tertio loco enumeratur & nocumenta salis siue cibariorum nimis salforum. Primum est ea urere, id est, lædere uisum, & itidem duplex caussa ad signari potest, uel quòd res nimium salse uehementer exiccantes inimicæ sine oculis, uisus instrumentis. Oculi enim sunt de natura aquæ, ut testatur Aristot. cap. 2. de sensu & sensibili: uel quòd cibaria admodum salsa, prurimum excitant & mordicent, à cibarijs autem mordicatiuis in stomacho existentibus eleuantur & sumi mordicatiui, mordicatione sua oculis plurimū nocentes, ipsosq; rubeficientes. Vnde uidemus ebullientes salem rubros ferè habere oculos. Secundum est, cibaria salsiora imminuere sperma. Quia multum exiccant omnes humiditates, unde etiam sperma exiccatur & imminuitur. Tertium est, generare scabiem, quia sal humorem gignit acutum, mordicatum, & adustum, unde scabies nascitur. Quartum est, augere prurimum, qua generat tumorem mordicatum & pruritiuum. Horum 4. nocumentorum meminit Rhazes 3. ad Mansorem ca. 17. Eorum, inquit, sanguinem, qui multam ex eo sumunt quantitatem, adurit, uisum quoq; debilitat. atq; sperma minuit: generat prurimum & scabiem. Per salsa præterea gignunt serpiginem, impetiginem, morpheam, & lepram in dispositis, & uias urinae diu continuata excoriāt. Moderatè tamen salsa fastidium auferant, ciborum adpetentiam faciunt, atq; acuumt.

DE CONSERVANDA

DE SAVORIBVS.

CAPVT LIII.

Hl feruore uigent tres, falsus, amarus, acutus.

Alget acetosus, sic stipans, pōticus atq;
Vnctus & insipidus, dulcis, dant temperamentum.

Ecphrasis.

Hoc loco recensetur cuiusq; saporis qualitates. Et primo dicitur hos tres, falsum, amarum, & acutum, calfacere corpus utentis. Deim hos tres: acetosum, stypticum, & ponticum infrigidare. Tertio uerò loco, hosce tres: unctuosum, id est, pinguem, dulcem, & insipidum, quem Græci $\alpha\pi\tau\omicron\iota\omicron\upsilon\pi$, id est, qualitatis expertem, esse temperatos, adeo ut corpus neq; refrigerent neq; excalfaciant. Auicenna 2. Canon. Tract. 1. cap. 3. Octo sunt inquit, ueri sapes, qui sequuntur insipidum, ut sunt dulcedo, amaritudo, acuitas, salsedo, acetositas, ponticitas, stypticitas, & unctuositas. Enumerando tamen insipiditatem pro sapore, sicuti fit hoc loco, erunt nouem sapes. Accipitur autem sapor pro omni eo, quod gustu dijudicatur. Horum tres sunt calidi, falsus scilicet, amarus, & acutus. Auicenna ibidem. Acutum, inquit, est calidius, dein amarum, ac dein falsum, quoniam acutum est fortius ad resoluendum, incidendum, & abstergendum, quàm amarum, & inde falsum est

Sapores
octo.

Sapor.

sum est sicut amarum confractū cum humiditate frigida. Tres sunt frigidi, scilicet acetosus, stipans, id est, stypticus, et pōticus. Ponticus tamē cæteris frigidior, dein stypticus, hinc acetosus. Et propter hoc in omnibus fructibus qui dulcescunt, prius est ponticitas uehementis frigidationis, dein postquam per calorem solis digestiuium, aliquo modo digesti sunt fructus, sentitur in eis stypticitas, & declinant ad acetositatem, sicut agresta, & tandem dulcescunt. Acetosum **Acetosum** uerò quamuis sit minus frigidum quàm stypticum, tamen propter subtilitatem & penetrationem suam in pluribus maioris est infrigidationis. Ponticum **Ponticum**, & stypticum, eodem Auicenna teste, sunt in sapore propinqua, sed stypticum nihil contrahit lingue præter superficiem extimam. Ponticum uerò contrahit & exasperat, & superficiem extimam, & interiora eius.

Postremo uerò, saporum tres sunt temperati, id est, non excedentis caliditatis siue frigiditatis, dulcis scilicet, unctuosus, & insipidus. Dulce enim licet calidum sit, tamen in eo non apparet fortitudo caliditatis, sicut dicit Rhazes 3. ad Mansorem ca. 1. Porrò unicuique saporis propriæ adsignantur operationes, sicut testatur Auic. & Rhazes.

Operationes enim dulces, inquit Auic. sunt digestio, & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, et natura diligit ipsum, & uirtus attractiua attrahit ipsū. Et Rha. inquit: qui dulci usus fuerit, multa bilis in eo **generat**

DE CONSERVANDA

generabit & sanguinis multitudo, oppilationes quoque generat, & apostema in epate & splene: & precipue si hæc membra ad hoc fuerint præparata, uentris itidem fluxus ex eo sequitur, & mollificat stomachum. Pectori uero & pulmone confert, corpus itidem impingat, & augmentum spermatis tribuit.

Operationes uero amari (secundum Auic.) sunt abstersio, & exasperatio, secundum Rhazen, amarum calfacit & desiccatur fortiter, citoque sanguinem ad adustionem & malitiam perducit, bilem quoque rubeam in sanguine augmentat.

Operatio pontici, iuxta Auicenni sententiam, est contractio, si ponticitas fuerit debilis, aut expressio, si fortis.

Operationes stiptici, secundum Auic. sunt contractio, inspiratio, induratio, & retentio. Secundum Rhazen uero, stipticum corpus infrigidat, & desiccatur, carnum quoque ac sanguinis minorationem facit, si quis eo multoties utatur, stomachum confortat, ac uentrem secundum plurimum constringit, & sanguinem generat melancholicum. Videtur autem Rhaz. Ponticum sub stiptico comprehendisse, quia de Pontico nihil expressit.

Operationes unctuositatis, secundum Auic. sunt lubricatio, lubrificatio, & coctio, id est, digestio parua. Secundum Rhaz. unctuosum stomachum mollificat, & uentrem fluere facit. Ac satietatem adfert, antequam homo cibi quantitatem sibi necessariam adsumat,

mat,

mat, & calfacit, maximè tamen febricitantes, uel habentes epar, uel stomachum, calida. Corpus præterea humectat atq; lenit. Phlegma uerò auget, & cogitationem reddit hebetem, & auget somnum.

Operationes acuti, secundum Auicennam, sunt resolutio, incisio, & putrefactio. Secundum Rhazen uerò, acutum calorem auget, & corpus uelociter inflammat, ac sanguinem adurit, ipsumq; prius in bilem mutat rubeam, postea in nigram.

Operationes falsi, secundum Auicen. sunt absterfio, ablutio, exiccatio, & prohibitio putrefactionis.

Operationes acetosi secundum Auicennam sunt infrigidatio & incisio. Secundum uerò Rhazen, acidam bilem rubeam & sanguinem reprimit, atq; uentrem stringit, si stomachus & intestina munda fuerint. Si autem phlegmatis in eis fuerit multitudo, uentris efficit fluxum, & corpus infrigidat, uirtutem quoq; debilitat digestiuã, propriam in epate. Neruis uerò, & neruosis membris nocumentum adfert, & corpus desiccatur, uirtutem autem appetitiuam excitat. De operationibus insipidi, dicit Rha. aliquod esse insipidum, quod magis nutrit, scilicet quod æqualitati uicinum est. Aliud uerò, quod temperatè infrigidat, cum quo multa fuerit humiditas, humectabit. Cùm autem fuerit siccum, desiccabit.

DE VIPA. CAP. LIII.

BIs duo uipa facit, mundat dentes,
dat acutum

DE CONSERVANDA



Visum, quod minus est implet, minuit
quod abundat.

Quatuor hic recensentur commoda uipæ. Primum est, uipam mundare dentes. Quia propter panem diutius dentibus inhaerentem quam uinum sine pane, limositas illa dentibus inhaerens, unde luridi dicuntur dentes, à uino melius consumitur & abstergitur. Secundum est, uipam acuerè uisum, quia reprimit malos fumos ad cerebrum ascendentes, ac sua commixtione spiritus uisuos obfuscantes. Digerit enim materias malas stomacho inhaerentes. Tertium est, uipam cruda digerere, quia claudit orificium stomachi, & confortat digestionem. Quartum est, uipam superfluè digestum ad temperamentum reducere. Et hoc maximè ueritatem habet de uipa panis cum uino, dum modo panis primo sit assatus, aut
Vipa. supra prunas exiccatus. Vipa dicitur uulgo, ein wein suppe.

DE DIAETA. CAP. LV.

OMnibus adsuetam iubeo seruare
diætam,

Approbo sic esse, ni sit mutare necesse.

Hippocrates testis, quoniam sequitur
mala pestis,

Fortior est meta medicinæ certa diætata,
Quam si non cures, fatue regit, & male
curas.

Heic præcepta quædam traduntur de diætâ. Quo-
rum primum est, omnibus conuenire, ut seruent con-
suetam diætâ. Per diætâ uerò intelligitur admini-
stratio cibi & potus. Ratio est, quia transgressio à
consuetudine nocet nocummo magno. Consuetudo
enim est altera natura, quod ergo diu adsuetum est in
naturam ferè transiuit, quemadmodû igitur naturam
custodire oportet, ita & consuetudinem, præcipuè si
laudabilis fuerit. Et quemadmodum seruanda est con-
suetudo administratio cibi & potus, ita & consuetudo
aliarum rerum non naturalium eadem ratione. Vn-
de si quis consuetus multum laborare, uelit hanc con-
suetudinem immutare, ocioq; indulgere, minus ue la-
borare, uel aliud laboris genus adsumere, idq; alio &
tempore & modo, ille proculdubio multum ex hoc de-
bilitabitur. Idem intelligendum de cibo & potu, som-
no & uigilia, repletione & inanitione, & animæ ac-
cidentibus. In quibus omnibus obseruanda est consuetudo,
si sit laudabilis, uel parum laudabilis, siue in differe-

DE CONSERVANDA

rens in bonitate & malitia, respectu illius ad quod fieri debet permutatio.

Sciendum autem hoc loco debiles & senes facilius ferre consuetos labores, quàm fortes atq; iuuenes inconsuetos, id quod his uerbis confirmat Hippo. lib. 2. Aphor. 49. Qui consueti solidos labores ferre, & si fuerint imbecilles & senes, non consuetis, fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Quod uerò dicit inquit Philotheus, tale est. Sunt autem quidam, hic quidem senex, hic autem in uigore ætatis, uterq; incipit fodere terram, & seni quidem fodere bene cedit, illi autem qui in ætatis uigore est, minimè, illi quidem ob consuetudinem, etsi imbecillis, huic autem ob inconsuetudinem, etsi robustus sit.

Notionem enim uniuersalem esse oportet, quòd exercitatae partes alijs fiunt robustiores, & propter hoc faciliè subeunt consuetos labores. Secundum est, malam pestem, id est, maximum incommodum sequi permutationem consuetæ diætæ, ut testatur Hippoc. lib. 2. de uictus rat. in morbis acu. nisi fuerit necesse eam permutari, quando est illa ualida, ita ut inde sequantur pessimæ ægitudines, qualis est prandium siue cœnam prauis cibus terminare. Huiusmodi enim consuetudinem necessarium est corrigi & permutari, non quidem subito, sed paulatim & ordinatè. Nam omnis subita mutatio uehementer nocet, maximè si à consueto ad inconsuetum fiat permutatio.

Subita
mutatio
nocet.

Deinde etiam necesse est eam permutari, ne si forte ad

tè ad inconfucta fiat translatio, sequatur læsio. Nam qui se ad omnem dietam adsuefacit, minus lædetur, cum se ad inconfucta transtulerit. Idem etiam intelligendum de alijs rebus non naturalibus, id quod testatur Hippoc. lib. 2. Aphor. 50. Quæ ex longo tempore consuectæ sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad ea insuectæ permutari. Vnũ quodq; enim ipsorum, inquit Philosophus, consuectum effectum minus lædit, eò quòd natura quidem magis innocuum, sed in consuectudinem nondum uenerit: ut consuectus comedere manna, in boni mutatione cibi iniuria adfcitur, propter desuectudinem: et consuectus bibere aquam, in meri potionem mutauerit, læditur, quoniam à consuectudine aberrat. Sic et in his quæ particularia sunt. Similiter autem oportet et ad insuectæ permutare, ut si quando fortuna coegerit, ea ferre possimus, cum enim qui usus est rualto nutrimento, oportet et parum comedere, ut causa adueniente ferat et illius usum.

Quapropter quisq; cauere debet, teste Rhas. lib. 4. cap. 10. ad Mans. ne alicuius rei sibi consuectudinem faciat, quam ipsum obseruare oporteat, ex cuius obseruatione constrictione patiatur. Vt si quis uno cibo consuectè semper utitur, uel aliquo potu, uel omnino ab eis abstineat, uel dormire, uel coire consuectat: et ex aliquo istorũ grauiter constringatur, maximum incurrit nocumentum, si ab eis abstinerit.

Quapropter quisq; corpus suum sic disponere deo

DE CONSERVANDA

Consuetudo uarianda.

bet, ut caloris & frigoris patiens esse possit, & ad motiones & cibaria sibi necessaria aptum reddatur, & ut somni & uigiliarum horas, atq; mansiones & domos sine lesione permutare possit. Fortassis enim ex necessitate hoc aliquando agere cogetur. Quod quidem fieri poterit, si consuetudo non obseruetur ad unquam, sed interdum ad inconsueta transeamus.

Tertium est, fortio rem ac potio rem metam medendi esse certam dietam, quam si medicus non curauerit, ac aliam indebitam administrauerit, fatuè regit egrum, & malè curat.

Est porrò triplex diæta, siue alimentorum genus. Alimentum scilicet plenum, alimentum modicum, & alimentum tenue. Alimentum plenum, est sanorum cibus, qui non solum uires conseruat, sed etiam auget. Alimentum modicum ad sanos etiam spectat, uireis quidem conseruat, sed non auget. Alimentum tenue, id est, quod uires imbecilleis reddit. Hoc uerò alimentum quod tenue dicitur, ab autorib. in multas partes diuisum est, nempe in tenue sine aliquo addito, in tenue exquisitè, in tenuissimum, et in tenuissimum in extremo. Tenuissimum in extremo alimentum est, nihil penitus dare. Et si dubitabis, quomodo alimentum dici potest, cum nihil datur? Respondemus, ita esse illius uocabuli usum apud Medicos. Tenuissimum uerò est, dare melicratum solum. Tenue est, ptisanæ succus: qui si etiam in pauca quantitate sumatur, est exquisitè tenuis. Sanos homines non solum conseruare debemus,

benus, sed etiam augere, propterea uictus plenus illis competit. Qui uerò ægritudine longa laborant, uires augere non debent, sed bene conseruare: aliter usq; in finem non sufficerent. propterea hi modicè uictu cibandi sunt, qui etiam sanis conuenit, in quibus uires augere non cupimus, Sed illas solùm conseruare animo est. Quos etiam in longo morbo totis uiribus seruare studemus. Cùm uerò ægritudo breui terminatura est, si quarto die finiri debeat, aliquid dare non est opus. Imò si uires sufficerent, & in septimo terminatura esset, nihil penitus dandum esset, nisi post illum terminum. Vnde Hippoc. lib. 1. Aphoris. 6. Extremis morbis, extrema exquisitè remedia optima sunt.

DE ADMINISTRATIONE
Medicinæ. CAP. LVI.



DE CONSERVANDA

Q Vale, quid, & quando, quantum,
quoties, ubi, dando,

Ista notare cibo debet medicus bene do-
ctus,

Ne malè conueniens ingrediatur iter.

Heic traditur à medico sex esse consideranda in
administranda diætâ. Primum est, *Quale*. id est, cu-
ius qualitatis debeat esse cibus, quia in ægitudine ca-
lida exhibendus est cibus frigidus, in frigida calidus,
in humida siccus, in sicca humidus. In sanis tamen si-
mili, non contraria qualitate præditus cibus exhiben-
dus est, ut testatur Gal. in arte Medi. cap. 86. Calidiora
corpora, calidioris uictus rationem exposcunt, fri-
gidiora frigidioris.

Secundum est, *Quid*. id est, cuius substantiæ, athle-
tis enim & rusticis, cum uehementius exerceantur,
cibus exhibendus est crassus, quia uis digestiua eorum
est fortis, nec conuenit eis cibus subtilis, ut pullorum,
caponum, uitulorum, siue hœdorum caro. hæc enim
in eis uel adureretur, uel nimis citò digereretur, qua-
re & sæpius comedere cogerentur; nobilibus uerò
& ocio deditis, exhibendus est cibus subtilis substan-
tiæ. Virtutem enim digestiuam habent debilem, quæ
nequeat crassis resistere cibus, eiusmodi sunt carnes
porcinæ salsæ, & bouinæ, & pisces sole exiccati. Si-
militer in ægitudinibus acutis, tenuiori diætâ uten-
dum est, quàm in Chronicis, id est, longis, ut quar-
tanis.

Tertium

Tertium est, Quando. id est, quo tempore sit adsumendus cibus, quia in sanis maximè conseruanda est consuetudo. Vnde in æstate hominibus mane surgentibus, & consuetis bis duntaxat in die cibum accipere, comedendum est hora decima, uel paulo antiè, nec expectandum dum meridies prætereat, ob nimium di ei calorem. Similiter cœnandum est eis hora sexta, uel paulo post. In hyeme uerò prandendum est hora undecima, ob longitudinem somni: & deinde cœnandum hora septima uel paulo post, & maximè seruanda est consuetudo. In ægris quoq; habenda ratio temporis, siquidem in febribus in ipso paroxysmo, uel paulo antiè, siue post, abstinere, id est, non nutrire oportet. Quia si statim antiè paroxysmum uel in ipso paroxysmo detur: natura impeditur, ac diuertitur à digestionem materie febris, eò quòd digestionem cibi magis sit intenta. Neq; dandū est statim post paroxysmum: uirtus enim adhuc nimis debilitata est ex paroxysmo immediatè præcedenti. Exhibendus igitur cibus tam diu ante paroxysmum, ut possit digeri, priusquam ille accedat. Vel exhibendus est aliquantulo tempore post paroxysmum. Et hoc nisi timeatur magna debilitas uirtutis, tum enim dandus est cibus etiam quocunq; tempore. Nam ubi casus aliquis interuenerit, robur naturæ dissoluēs, nutrire cogimur, inquit Gal. comment. 9. lib. 1. Aphor.

Quartum est, Quantum. id est, quantitas sumendi cibi, quæ in æstate, ut dictum est, minuetur. Quia

DE CONSERVANDA

calor naturalis tum debilior est ob nimias resolutiones. In hyeme uerò cibus augendus est, uirtute digestiua tunc forti existente, cum calor naturalis sit unitus propter frigus circumstantis. *Supra cap. 19.*

Quintum est, Quoties id est, quoties in die sit cibus exhibendus. Est ergo aestate sepius exhibendus quam hyeme, autumno, seu uere, sed minori quantitate, ut dictum est supra. Similiter uirtute digestiua existente debili, sepe parua quantitate cibus exhibendus est. Existente autem forti, exhibendus est quantitate magna, sed rarius.

Sextum est, Vbi id est, in quo loco, quia cibus non est sumendus in loco frigidiori, neq; nimis calido, sed temperato.

DE CAULE. CAP. LV.



IVs caulis soluit, cuius substantia strin-
git.
Vtraq; quando datur, uenter laxare para-
tur. Tria

Triā his determinantur uersibus. Primum est, eius caulis, id est, aquam caulium, id est, brassicæ, & maximè primæ ebullitionis, soluere uentrem, quia in folijs & partibus exterioribus caulium inest uirtus quedam nitrosa, abstersiua, debiliter inherens, & facile per pusillam decoctionem, siue ebullitionem seiparabilis, quæ sparsa per aquam, ipsam laxatiuam facit. Vnde & prima aqua decoctionis caulium magis aluum deijcit quàm secunda, quia uirtus illa nitrosa, abstersiua, per primam decoctionem plurimum se iungitur. Secundum est, substantiam caulium à decoctione uentrem stringere, quia omnis uirtus laxandi per decoctionem ablata est, & remanet substantia terrea, sicca, quæ uentrem stringit. Tertium est, utramq; simul sumptam, laxare uentrem. Ratio, quia uirtus abstersiua & nitrosa in aqua manet, unde etiam laxat. Sciendum autem primo, caules generare humorem melancholicum, & somnia terribilia, officere stomacho, parum nutrire, uisum obtenebrare, somnum conciliare, menstrua & urinam prouocare: & hæc partim colliguntur ex Auicenna, 2. Can. cap. 148. Partim uerò ex Rhaze, 3. ad Manso. cap. 18.

Deinde uerò sciendum, usum caulium, siue decoctionis, siue seminis prohibere, & retardare ebrietatem, unde Arist. 3. sectione, problemat. 12. Querit quid est, cur brassica sedet, crapulam? Idem testatur Rhazes & Auicenna locis citatis. Respondetur
secundum

DE CONSERVANDA

secundum nonnullos ex caulium comestione eleuari fumos admodum crassos, qui incrassent fumositates uini, & impediunt ob crassitiem ad cerebrū penetrare. Aristot. uerò hanc adsignat causam, quia omne quod trahit humidum uinosum, ad se ac à corpore reuellit, & corpus refrigerat, curat crapulam: caulis est huiusmodi, ergo caulis curat crapulam? Quòd autem caulis sit huiusmodi, probatur, quia per succū caulis, cum sit diureticus, detrahuntur humores uino si indigesti à toto corpore, & in uesicam deferuntur, & ipsa substantia frigida, styptica ac terrea supra in uentriculo remanens, corpus refrigerat, quo fit ut tenues humores ad uesicam labantur. Cum itaq; humor utrinq; educatur, corpusq; refrigeretur, rectè per consequens curatur crapula. Euenit ad hæc, ut cum humores deorsum se trahunt, atq; excernunt, statim etiam secum deducant, qui si per uinum liceat, in caput se efferens, grauitatem creat, & crapulam. Sin autem deorsum se uertit, corpusq; ob causam prædictam refrigeratum est, dolor crapulæ omnis tollitur.

DE MALVA. CAP. LVIII.

Dixerūt maluam ueteres, quòd molliat aluum.

Huius radices rasæ soluunt tibi feces.
Vulvam mouerunt, & fluxum sæpe dederunt.



Hic tres enumerantur proprietates, siue effe-
 ctus Maluæ, quorum primus est, ipsam mollificare Maluæ
 uentrem. Est enim unum ex quatuor emollientibus,
 que sunt: Malua, Althea, Brancha ursina, & Mercu-
 rialis: unde serè clysteres fiunt lenitini, & mollifica-
 tui ad

DE CONSERVANDA

tiui ad fecum induratarum eductionem. Est autem duplex Malua, quædam enim floribus est sanguineis, quædam uerò albis: & in hac maior est uis emollienti quàm in prima.

Secundus effectus est, radices maluæ rase educere feces, & hoc quando inde fiunt glandes, id est, suppositoria, quemadmodum fieri solent ex radice Mercurialis.

Tertius est, Maluam cingere menstrua in mulieribus, & hoc ob nimiam eius humectandi ac lubricandi facultatem, qua uer-

ne matricis facilius à sanguine acuto funduntur. Tradit Platearius, Maluam certo experimento menstrua prouocare.



DE MENTA.

CAP. LIX.

Mentitur mēta si sit depellere lenta.

Ventris lumbricos, stomachi uermesque nociuos.

Heis

Heic habetur unicum præceptum de Menta, quòd scilicet hoc nomine dignanda non sit, nisi uim habeat auferendi uermes uentris & stomachi. Est enim magnæ & fortis aromaticitatis, & uehementis amaritudinis, unde non secus atq; Absinthium uermes interficit. Exhibenda est autem decoctio eius uelut Absinthij quoq; & non substantia. Aduertendum tamen, eo quòd admodum sit calida & sicca, sanguinem adurens, non competere ut cibum, sed potius ut medicinam. Stomachum enim confortat, & calfacit, sedat & digerit singultum, prohibet uomitum phlegmaticum & sanguineum, uenerem pro uocat, ob inflationem quæ est in ipsa, & humiditatem hortulanam, prohibet sputum sanguinis, & propria quadam uirtute confert aduersus morsum canis rabidi. Coire lac densariq; in caseum non patitur, si folia eius lacti immergantur, teste Diosc. li. 3. Et Auic. 2. Can. cap. 499.

DE SALVIA. CAP. LX.

CUr moriatur homo, cui salvia cre-
scit in horto?

Contra uim mortis non est medicamen-
in hortis.

Salvia confortat neruos, manuumq; tre-
morem:

Tollit, & eius ope febris acuta fugit.
Salvia,

DE CONSERVANDA



Salvia Castoreumq; Lauendula, Primum
la ueris.

Nasturt. Athanas. hæc sanant paralyti-
ca membra.

Salvia saluatrix naturæ conciliatrix.

Hoc loco tria imprimis pertractantur. Primo in-
nuitur magnam esse utilitatem salvia. Queritur aut
per mo-

per modum dubij, cur homo moriatur, in cuius horto crescit salvia? Respondetur secundo uersu nullam medicinam crescere in hortis, quæ mortem prohibeat. Secundo traduntur tres effectus salviæ. Primo enim confortat neruos, quia exiccat humiditates, quibus ij impediuntur & relaxantur. Deinde remouet tremorem manuum, quia ut dictum est, neruos confortat. Quicquid autem confortat neruos, tremorem tollit, cum generetur tremor ex debilitate neruorum. **Vn-** Tremor
de senes quidam & uetule potui & cibo suo folia manuuum.
 salviæ imponunt. Tertio uerò remouet febrem acutam, id est, impedit ne inuadat, cuius hæc potest assignari causa: quia exiccando humores, impedit putrefactionem, unde febris acuta sequi solet.

Est porro salvia calida & sicca, neq; per se in uictus salubris ratione exhibenda. Attamen cum neruos plurimum corroboret, homines in sanitate tuenda, ea dupliciter utuntur. Primo quidem uinum inde conficiunt, quod salutatium uocant, quo plurimum uti solent in principio mensæ. Confert autem hoc ipsum paralyticis, & epilepticis, si quidem modicè sumatur. **Saluiatiu**
 matur. Præcipuè tamen, si exhibeatur post purgationem ex sumpto medicamine.

Deinde utuntur salvia in salsis: exiccat enim appetitum, & maximè cum stomachus humoribus prauis, crudis, & indigestis, repletus fuerit.

Est autem salvia duplex. Domestica scilicet latis & magnis folijs: & quæ uulgo nobilis dicitur, folijs

DE CONSERVANDA

Minoribus & strictioribus. Græcis ἐλελίσφακος δicitur.

Tertio loco enumerantur sex res medicinales pro curatione paralysis, Salvia uidelicet, Castoreum, Lauendula, Primula ueris, Nasturtium, & Athanasia. Hæc enim curant & sanant membra paralytica. De Salvia quidem patet ex iam dictis, quia confortat neruos: uel quia calida est, & sicca, consumit materiam plegmaticam neruis imbibitam, unde paralysis nascitur. Castoreum uerò neruos maximè confortat, calfacit, & exiccat. De quo Auicenna Canon. 2. cap. 126.

Castorcū.

Est, inquit subtilius, & fortius omni quod calfacit et exiccat, confert neruis, & calfacit, & confert tremori & spasmò humido, & stupori, & Paralyfi. Neq; est aliud magis iuuatiuū uentositatum in aure quàm ipsum, cum ex castoreo accipitur quantum est lens unna, & dissoluitur in oleo nardino, & distillatur in eam. Plures alios effectus eius habet Auicenna ibidem & Diosco. lib. 2. Est autem Castoreum, testiculus animalis, quod Castor, siue Fiber dicitur. Oleum de castoreo non minus ualet in paralyfi quàm ipsum Castoreum, si post euacuationem materiae exhibeatur: tunc enim materiam residuam consumit,

Lauendula & neruos confortat. Lauendula quoq; fragrantia sua neruos confortat, & calfactione paralysis

Primula ueris, materiam consumit. Idem præstat & Primula ueris, quia & ipsa sua fragrantia & calfactione neruos confortat. Vnde nonnullis etiam herba paralysis

lysis appellatur. Dicitur autem Primula ueris, quod una sit ex primis aromaticis in uere prodeuntibus. Nasturtium est calidum & siccum, extenuat, incidit, & resoluit, quare ratione etiam materiam paralysis aufert. Auicenna 2. Canon. capit. 613. testatur conferre omni mollificationi neruorum, quia calfaciat, & educeat phlegmata, & emundet neruos à phlegmate. Quare consulunt medici, ut in ieiunio quadragesimali edatur Nasturtium, propter cibos phlegmaticos, qui per id tempus exhiberi solent. Est autem Nasturtium herba uulgaris, & ubiq; nota, nascitur in locis frigidissimis, scilicet petrosis, & aquosis, ubi multi sunt fontes. Athanasia uerò alio nomine dicitur Tanacetum, Teutonicè Reinfarn/ odder Wurmkraut. Hæc herba uirtutem habet purgandi phlegmatis, & caliditate sua exiccat neruos, expurgat etiam uermes, & materiam unde illi generantur. Quare Galli magna ex parte in diebus Paschalibus utuntur Athanasia fricta cum ouis, ad purgationem phlegmatum, ex piscibus in ieiunio quadragesimali collectorum, unde facile uermes in dispositis & aptis generari possent. Ultimo uersu traditur Saluiam dici, quasi naturæ saluatricem.

Nasturtium

Athanasia

DE RVTA. CAP. LXI.

M 2

DE CONSERVANDA



Nobilis est ruta, quia lumina reddit
acuta,
Auxilio Rutæ uir quippe uidebis acutè.
Ruta comesta recens oculos caligine
purgat. Ruta

Ruta uiris coitum minuit, mulieribus
auget:

Ruta facit castum, dat lumen, & ingerit
astum.

Cocta facit ruta de pulicibus loca ruta.

Recensentur heic quatuor effectus Rutæ. Pri-
mus est, ipsam uisum acuerè, & præcipuè succum Visus.
eius, ut testatur Auicē. 2. Canon. ca. 578. De hoc ef-
fectu uide supra cap. 13. Secundus est, Rutam mi-
nuere in uiris coeundi desyderium, augere uerò in
mulieribus. Ratione enim caliditatis suæ exiccat
& minuit sperma in uiris, eo quòd subtile sit &
aëreum, sed in mulieribus extenuat & calfacit; cum
sit aquosum & frigidum, easque magis ad coitum in-
citāt, ob subtilitatem & caliditatem. Tertius est,
Rutam facere astutiam, id est, apprehensionem faci-
lem, & inuentionem alicuius mediij in caussa subtili:
Calfactione enim & exiccatione attenuatur, & acu-
untur spiritus, fouetur & illustratur ingeniū. Quar-
tus est, decoctione rutæ depellere pulices, si ex ea Pulices.
domus irroretur, interficit enim eos, ut uno ore om-
nes medici testantur. Auic. 6. 4. Tract. 3. cap. undeci-
mo. Quando, inquit, aspergitur domus cum infusio-
ne colocinthidæ, saliant pulices, et fugiunt. Et simili-
ter ex decoctione rubi.

Et dixerunt quidam, quando ponitur sanguis Contra
hirci in fouea in domo, aggregantur pulices apud pulices.

DE CONSERVANDA

eum, deinde moriuntur, & similiter aggregantur. Super lignum linitum ex adipe ericij, & fugunt ex odore caulis & foliorum Oleandri. Nihil autem æquè deicit pulices atq; res fortis odoris, uelut Ruta. Mentha, Mentastrum, Lupulus, præcipuè tamen feces, uel urina equi. Irroratio quoq; domus ex decoctione seminis rapæ occidit pulices. Ex suffitu etiam cornu taurini fugunt pulices. Pro captione tamen eorum, melius nihil est, quàm impositio pauci bombycis in lecto, in illo enim congregantur.

DE CEPIS. CAP. LXII.



DE cepis medici non consentire uidentur.

Cholericis Fellitis non esse bonas ait ipse Galenus.

Phlegmaticis uerò multum putat esse salubreis.

Non

Non modicum fanas Asclepias afferit
illas.

Præsertim stomacho, pulchrumq; crea-
re colorem,

Contritit cepis loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare
decorem.

Agitur hoc loco de cepis, de quibus adnotantur
quinq;. Primum est, medicos dissentire de natu-
ra cepearum, quibusdam enim uidetur eas conferre
phlegmaticis, alijs contrà. Rhazes namq; 3. ad Man-
sorem cap. 18. testatur eas generare humores super-
fluos in stomacho, & phlegma. Secundum est,
Galenum probare, cepas multum obesse cholericis,
idq; facit lib. 2. cap ultimo, de alim. facul. Acrium, in-
quit, omnium, ut cepearum, allij, & porri assiduus
usus est euitandus, præsertim ei, qui naturæ est plus
æquo biliosæ, quoniam quidem solis pituitosum hu-
morem, aut crudum & crassum, & glutinosum col-
ligentibus, huiusmodi edulia sunt accommodata. Est
autem cepe, ut tradit Auic. 2. Can cap. 123. ex tertio
ordine excalfacientium, ut Galen. lib. 7. de simpli.
facul. ex quarto. Quare nocet calidis, ut sunt cho-
lerici. Fellitos autem dixit biliosos, Tertium
est, cepas plurimum prodesse phlegmaticis, quia
excalfaciunt, incidunt, extenuant, abstergant,
& aperiant, unde phlegmaticos & glutinosos
humores in phlegmaticis coaceruatos digerunt.

DE CONSERVANDA

incidunt, abstergunt, & extenuant. Quartum est. cepas conferre stomacho, ipsum enim à phlegmatibus exonerant & calfaciunt, Auicenna loco citato. Et quod inquit, ex cepis cõeditur propter suã caliditatem confortat stomachum debilem, & appetitum facit, eadem etiam ratione decorant colorem faciei. Fieri enim nequit, ut calor faciei sit uiuidus ac floridus, stomacho phlegmate & humoribus prauis ac crudis referto. Quintum est, locis glabris ac depilatis pilos siue crinibus restituere, si costæ conterantur, & inde loca perfricentur. Et hoc uerum est, si depilatio acciderit ex pororum opilatione, & corruptione materiæ sub cute. Cephæ enim aperiunt poros, resoluendo materiam malam sub cute detentã, ac bonam in locum attrahendo. Quapropter alopecie earum succa conuenientissimè perfricantur, ut testatur Auicenna 2. Canon. capit. citato, & 7. 4. capit. 6. Vnde infertur capitis decorem reparari per ceparum frictionem, capitis porrò decor pili sunt. Cephæ præterea Venereum stimulant, appetentiam inuitant, faciei ruborem inducunt, cum melle eradiciunt uerrucas, sitim mouent, & nocent intellectui. Humorem enim prauum & crassum generant, saliuam multiplicant. Succus earum confert aquæ in oculum defluenti, et abstergenti uisum. Cephæ item tritæ cum melle et aceto, conferunt morsui canis rabidi, quare quidam addunt hos duos uersus:

*Contra
caluiciem*

Adpositas perhibent morsus curare caninos,

Si tritæ

Si trita cum melle prius fuerint & aceto.
Plura de his diximus supra capite decimotertio.

DE SINAPI. Cap. LXIII.



EST modicum granum, sic
cum calidumq; sinapi.
Dat lachrymas, purgatq; ca-
put, tollitq; uenenum.

Heic agitur de sinapi. Primo quidem
ad signatur complexio ipsius, quod uidelicet granum
sit pusillum, calidum & siccum, & quidem ordine
4, teste Auicen. 2. Canon. cap. 982. Deinde uerò recen-
sentur tres proprietates, siue effectus grani sinapis.

Primus est, commouere lachrymas, quia nimia ca-
liditate sua extenuat, & dissoluit humiditates cere-
bri, quibus deinde fluentibus proueniunt lachrymae.

Secundus est, expurgare caput, cerebrum uideli-
cet mundando, & abstergendo humiditates phlegma-
ticas à capite. Expurgat etiam caput, quod sternuta-
menta creat, tritum & naribus admotum, quare apo-
plectis quoque auxiliatur eodem modo. Per sternu-
tamenta enim expelluntur nocumenta cerebri. Se-
men item sinapis, caliditate sua extenuat phlegma-
ta, & dissoluit ea quibus obstruuntur meatus cere-
bri, & generatur apoplexia, unde colligitur admo-
dum incidere phlegma, consumere & mundare.

Tertius est, tollere uenenum, id quod testatur &

Caput
purgare.

DE CONSERVANDA

Hic loco citato. Et fugunt, inquit, ex fumo eius uermes uenenosi.

DE VIOLA. CAP. LXIII.



CRapula discutitur capitis dolor atq;
grauedo,
Purpuream uiolam dicunt curare ca-
d ucos.

Ebrietas. Referuntur hic tres proprietates, siue effectus
uiolae. Primus est, uiolam sedare ebrietatem. Odo-
rem enim habet temperatum, & suauem, & hic ma-
ximè confortat cerebrum. Forte autem & ualidum
cerebrum, non facillè ebrietate tentatur, sed imbe-
cillum facillimè. Viola item cum frigida sit, cere-
brum refrigerat, & ineptum reddit ad recipiendos
fumos

Dos fumos calidos. Secundus est, uiolam discutere **Caput**
 & sedare dolorem ac grauedinem capitis. Et hoc ue-
 rum est, si intelligatur de dolore ex calida caussa, ut
 testatur Auic. 2. Can. ca. 726. Et Rhazes 3. ad Man.
 cap. 21. Et Mesues lib. 2. sectionis primæ simplicium,
 cap. 11. Ratio, quia uiola frigida est, & ita repugnat
 caussæ calidæ. Tertius est, uiolam curare caducos, **Epilepsia**
 id est, epilepticos. neq; sine caussa additum est, dicunt.
 quia celeberrimi autores hunc effectum uiolæ non at-
 tribuunt. Cuius tamen hæc posset adsignari causa,
 quod scilicet ob fragrantiam uiolæ, confortetur cere-
 brum, ita ut à paruis nocumentis minimè le datur,
 & per consequens, non incurrat epilepsiam, quæ di-
 citur parua apoplexia, ex opilatione neruorum sen-
 sitiuorum eueniens.

DE VRTICA. CAP. LXV.

A Egris dat somnum, uomitum quo-
 q; tollit & usum.

Illius semē colicis cum melle medetur.
 Et tussim ueterem curat si sæpe bibatur.
 Frigus pulmonis pellit uentrisq; tumo-
 rem.

Omnibus & morbis sic subuenit articu-
 lorum.

Septem hic referuntur effectus urticae. Quorum **Somnus**
 primus est, urticam aegris somnum cōciliare, quia
 extenuat, incidit, & abstergit phlegma, & crassos
 humores

DE CONSERVANDA

humores, quibus natura grauatur & somnus impeditur. Secundus est, tollere uomitum & usum eius. Vomitus enim & nausea, plurimum ex uiscoso humore accidunt, quem urtica incidit. Tertius est,

Colica. urticam mederi colicis, quia incidit, extenuat, resoluit, & abstergit humiditatem phlegmaticam, & uentositatem crassam, unde colica frequentius accidere solet. Et autem colica uehemens dolor in intestinis non laxiori, quod colon græcis dicitur, quemadmodum iliaca siue colos, in tenuioribus intestinis. Quar-

Tusis. tus est, urticam curare tusim ueterem, & maxime si semina eius in melle temperata fuerint, urtica enim phlegma uiscosum e pectore expellit, teste Rhaze 1. ad Manso. cap. 28. Auic. 2. Can. cap. 725. Quando inquit, bibitur cum aqua hordei, mundificat pectus, & quando decoquuntur folia eius in aqua hordei, educunt humores crassos, qui sunt in pectore, sed semen eius est fortius. Quintus est, urticam pellere frigus pulmonis, & hoc ob caliditatem suam. Sextus est, urticam sedare & pellere humorem ueneris, resoluit enim inflationes, unde sæpius uenter intumescere solet. Septimus est, urticam subuenire omnibus do-

Podagra loribus articularum, uelut Arthridi, ischiadi, & podagræ, quando scilicet proueniunt à materia frigida, phlegmatica, crassa: urtica enim calfacit, incidit, & extenuat urticam phlegmaticam crassam. Unde etiam, autore Auic. loco citato, excitat coitum, et proprie semen eius cum uino, quod & Gal. adprobat

lib. 6.

VALETVDINE.

97

lib 6. de sim. Medi. facul. ubi sic inquit: Sed & quid
dam flatuosum obtinent, quo & uenerem extima-
lant, & maximè ubi cum musto semen bibitur. Ape-
rit etiam urtica orificium matricis, uentrem modicè
subducit, ipsa duntaxat abstersione, ac ueluti titilia-
tione, non purgatione, phlegma & humorem crudum
educens. Ne uerò guttur exurtica a ut semine eius la-
datur, prodest post sumptionem
eius bibere aliquamulū olci rosa-
rei. Est aut urtica calida in princi-
pio 3. gradus, & sicca in 2. Ani.

DE HYSOPO. Ca. LXVI.

Hysopusq; herba est
purgans à pectore
phlegma.

Ad pulmonis opus cum
melle coquenda iugata,
Vultibus eximum fer-
tur prestare colorem.

Recensentur hoc loco effectus
hysopi. Quorū primus est. Hys-
sopum purgare & expellere è pe-
ctore phlegma. Desiccatur enim &
excalfacit ordine 3. uehementer
abstergit, dissoluit & consumit
humiditatem phlegmaticam, &
pre-



DE CONSERVANDA

præcipuè respicit partes pectoris, expurgans inde
 & expellens phlegma. Secundus est, purgare
 pulmone à phlegmate eadem de causa. Et propriè
 quidem, si coquatur cum melle, nam & mel abster-
 git, unde augetur abstersio byssopi. idem testatur A-
 uicen. 2. Can. cap. 367. ubi sic inquit: Hyssopus con-
 fert pectori & pulmone, & affectos dispncea, & ue-
 teri tussi, & eius decoctio cum ficibus & melle simi-

liter. Tertius est, præstare
 bonum & eximium colorem fa-
 ciei, idq; confirmat Auicenna
 loco citato. Eius potus, inquit
 efficit colorem bonum, & e-
 ius gummi abstergit uestigia in
 facie. Eadem quoque ratione
 solucendo educit phlegma, et a-
 scaridas, & uermes, eodem A-
 uicenna ibidem teste. Vinum de
 coctiõis eius, autore Plateario,
 matricem expurgat & abster-
 git à superfluis humoribus.



DE CEREFOLIO.

CAP. LXVII.

ADpositum cancris
 tritum cum mel-
 le medetur.

Cum uino potum late-
 ris sedare dolorem

Sæpe solet, tritam si nectis desuper her-
bam.

Sæpe solet uomitum, uentremq; tenere
solutum.

Ecphrasis.

Heic recensentur tres effectus cerefolij. Primus
est, cerefolium tritum cum melle & impositum, cu-
rare cancerum. Idem dicit & Platearius. Est autem *Cancer*
cancer, apostema melancholicum, corrodens partes
corporis tam carnosas quam neruosas. Nomen acce-
pit à fluuiatili cancro. Quemadmodum enim in isto
pedes ex utraq; parte sunt corporis, ita in hoc malo
uene oppletæ, & in ambitu tense, cancri animalis
pedibus omnino sunt similes. Secundus est, cerefo-
lium potum cum uino abscindere dolorem lateris, tor *Tormina*
mina quoque uentris discutit, quia inflammationem
eius ex crassa uentositate, unde prouenit dolor, mi-
tigat. Præterea & stomachi uentositatem omni-
umq; aliorum uiscerum soluit, & oppilationem tol-
lit, & ad hoc ipsum efficax est uinum. Tertius est,
cerefolium sedare uomitum & fluxum uentris, quia *Vomitus*
eum calidum sit in tertio gradu, & siccum, in 2. mate-
riam illam ex qua uomitus prouenit, digerit & exic-
cat. Et maximè si uomitus aut solutio uentris fuerit
à materia frigida phlegmatica. Prouocat urinam
& mens

DE CONSERVANDA

et menstrua, soluit dolorem lateris, renum et uesice, precipue si cum melicrato exhibeatur.

DE ENULA CAMPANA.
CAPVT LXVIII.



ENula campana, hæc reddet præcordia sana.

Cum succo rutæ, succus si sumitur eius, Affirmant ruptis quod proffit potio talis.

Ephrasis.

Heic agitur de Enula campana, quam Græci Eleonion uocant. Referuntur autem duo eius effectus. Quorum primus est, enulam confortare præcordia, quo


quo nomine hic exta in homine, orificium stomachi, membra spiritus siue anhelitus, & quæcunq; cordi uicina sunt, intelliguntur. Idq; maximè radix eius præstat. Odorata enim cum sit, manifestum est, eam membra neruosa, cuiusmodi est orificium stomachi, corroborare. De membris spiritus siue anhelitus, nullum est dubium, quin ex Helenij radice confortentur. Vinum enim inde factum, quod enulatum uocant, pectus & pulmonem expurgare & emundare, experientia constat. Approbatq; Auicenna 2. Canon. cap. 240. Eadem deglutita (ut ibidem habetur) cum melle, adiuuat ad expuendum, estq; ex ijs quæ lætificant & confortant cor. Secundus est, succum entia, cum succo rutæ plurimum conferre herniosis, id est, ruptis, quibus intestina in scrotum delabuntur. Maximè uerò si hernia fuerit ex uentositate. Hæc enim succo rutæ & enulæ dissoluitur, Confert præterea enula stomacho prauis humoribus referto, aperitq; oppilationes epatis & splenis, ut testatur Rhazes 3. ad Mansorem cap. 18. Confert item omnibus lesionibus & doloribus frigidis, & commotionibus uentositatum, & inflationi, Autore Auicenna loco citato.

DE PVLEGIO. CAP. LXIX.

CVM uino nigram choleram potata repellit.

Adpositam uiridem dicunt sedare podagram.

DE CONSERVANDA



Hoc in loco duo enumerantur effectus pulegij. Quorum primus est, pulegium, & præcipuè liquor eius stillatitium, cum uino purgare choleram nigram. Secundus est, pulegium proprietate quadam curare podagram antiquam, mirum ni quòd ualde excalfaciat, extenuet, & dissoluat phlegma, unde podagra frequentius generari solet. Est autem ex 3. ordine tum exiccantium, tum calfacientium, ut adfirmat Platearius. Substantia constat tenui, corroborandi facultate præditum est, id quòd ex fragore eius deprehenditur, aperitq; ratione substantiæ & qualitatum. Attrahit quoq; propter igneam substantiam siue naturam. Consumit etiam ratione caloris & siccitatis. Defectos animo recreat cum aceto naribus obiectum. Vinum de coctionis eius ualet contra dolorem stomachi & intestinorum ex frigiditate uel uentositate.

DE NASTVRTIO. CAPVT LXX.

VALETVDINE.

Ilius succus crineis retine-
re fluentes
Illitus adferitur, dentisq; leua
re dolorem.
Et squamas succus purgabit
melle perunctus.

Heic referuntur tres effectus Nastur
vj. Primus est, Nasturtium sistere de
fluuium capillorum, si caput succo e
ius inungatur, uel si aqua uel succus e
ius bibatur, id quod Auicenna quoq; 2.
Canon. capit. 513. testatur. Retinet,
inquit, capillos capitis cadentes, bi-
bitum & linitum. Secundus est,
curare dolorem dentium, & maxi-
mè ex causa frigida. Nasturtium enim
incidit, resoluit & calfacit, ut osten-
sum est supra cap. 60. Tertius est,
succum eius purgare lychenas &
squamas cuti adherentes, cum melle
illitum. Eiusmodi enim squamæ gene-
rantur ex phlegmate salso. Nasturtiū
aut, ut dictum est, omne phlegma pur-
gat. Quare intra corpus adsump-
tum, prohibet causam squamarum,
& easdem, foris illitum, abstersio-
ne sua tollit, & maximè cum melle,



DE CONSERVANDA

nam & hoc quoq; abstergit. Auicenna præterea & alios effectus enumerat. Exiccatur, inquit, putredinem uacuitatis ueneris, mandificat pulmonem, & confert asthmatis, & ponitur in medicinis & sorbitionibus asthmatis, eò quòd extenuet & incidat. Calfacit stomachum & epur, confert crassitie splenis cum mele emplastri modo impositum, conciliat uomitum fla-

ue bi is, & per inferna eandem educit, augmentum efficit in coitu, Soluendo educit uermes, & menses ciet.

DE CHELIDONIA. Cap. LXXI.

COecatis pulvis hac luminamater hirūdo. (Plinius ut scripsit) quamuis sint eruta, reddit.

Ephrasis.

Notatu dignum est, quod hoc loco de chelidonia dicitur. Locus autem est apud Pli. li. 25. ca. 8. ubi sic scripsit: Animalia quoq; inuenere herbas, impri-



imprimisq; chelidonium. Hac enim hirundines oculis Visui. pullorum in nido restitunt uisum, & quidam uolunt, etiam erutis oculis. Eiusdem meminit etiam lib. 8. cap. 27. Hisce quidem uerbis Chelidonium uisui saluberrimam, hirundines monstrauere, uexatis pullorum oculis illa medentes. Diosco. lib. 2. Sunt, inquit, qui narrant, hirundines matres excæcatis pullis, ad mota herba, uisum restituere. Hinc etiam cognitum est chelidonium oculis hominum mederi, utiq; in quibus crassum quiddam in pupilla colligitur, digestionem atq; discussione indigens. Et ferè in omnia adhiberi solet medicamina ocularia. Herba est crocci succus, cuius inuentionem hirundini attribuunt, quod pulli eius sepe cæcitatem incidant quam ulli auium pulli. Excrementa enim & feces hirundinum oculos obledunt, & cæcitatem pariunt, idq; eis potissimum accidit ab excrementis matrum. Cornelius Celsus lib. 6. cap. 6. fabulam putat, per parentes oculos herba restitui, qui per se sanescant. Chelidonia, teste Aegina & Plateario, calida & sicca est 3. ordine, facultate dissoluendi constat, consumendi, & attrahendi. Radices trite & uulnam ab humore frigido, & humido, si æger fumum per os recipiat, ac uinum deinde gargarizet.

DE SALICE. CAP. LXXII.

AVribus infusus uermes succus necat eius.

DE CONSERVANDA



Cortex verrucas in a
ceto cocta resoluit,
Huius flos sumptus in
aqua frigescere cogit
Instinctus ueneris cū
ctos acres stimulan
tes,
Et sic desiccet, ut nula
la creatio fiat.

Heic tria dicuntur de salice
Primum est, succum e
ius auribus infusum uermes
earundem interficere, idq; ob
exiccationē & stypticam fir
cultatē Auic. 2. Can. ca. 686.
Nō est aliud, inquit, magis us
tile, quā succus foliorū eius

in cura saniei, quæ currit ex aure. Secundum est,
Verruce corticem, id est, partem extremam salicis in aceto
decoctam resoluerē verrucas, unde Auicenna loco ci
tato: Cmis eius eradicat verrucas, linitus cum aceto.
Est enim uehementis exiccationis, mordacitatis ta
men expers. Gal. lib. 6, de sim. Eundem effectum Auic
enna & portulacæ attribuit 2. Can. ca. 543. Ex ea,
inquit, fricantur verrucæ, & eradicat eas proprie
tate sua

tate sua, non qualitate. Tertia est, florem salicis nocere partui, ob styp ticam enim & exiccandi facultatem, partum difficilem reddit, unde Dioscorides asyllipsian facere dixit, id est, ut mulier non concipiat. Lege de hac re eruditissimas Iani Cornarij annotationes in Macri lib. 4. capit. 11.


DE CROCO.
CAP. LXXIII.

Confortare crocus dicitur lætificando.

Membraq; defecta confortat, epar reparando.

Ecphrasis.

Heic recensentur quædam proprietates croci. Prima est, crocum confortare corpus humanum lætificando. Tantam porrò habet lætificandi siue exhilarandi vim, ut paulo copiosius sumptus, ridendo enecet. Unde Auic. 2. Ca. ca. 130. Dicitur, inquit, quòd tres aurei de ipso interficiant lætificando. Aureus aut est pondus sesquidragmæ. Secūda est. Crocū cōfortare mēbra defecta, et imprimis



DE CONSERVANDA

eor. Confortat item styptica & excalfaciendi facultate stomachum, eadem ratione & epar reficit, quod styptica facultas non sinit dissolui. Nimis tamen eius usus mouet nauseam, & deijcit appetitum, teste Auicenn. loco citato. Propterea quod appositus sit acetositati, quæ est stomacho, & ex qua est appetitus. Crocus præterea & somnum conciliat, sensus obtenebrat cum uino epotus inebriat, uisum abstergit, & oculorum fluxiones cohibet, anhelitum facilem reddit, eiusq; instrumenta corroborat, uenerem stimulat & urinam ciet, teste Diosc. lib. 1. cap. 15. Et Auicenn. loco citato.

DE PORRO. CAP. LXXIII.



R Eddit fœcundas mansum per sæpe puellas. Manantemq; potest naris retinere cruorem.

Duo hoc loco referuntur effectus porri. Primus est, porrū mansum per sæpe reddere puellas fœcundas. id est, efficere ut concipiant & matres fiant. Ratio, quia ut Auicenna 2. Can. cap. 649. confirmat. Consert coarctationi & præclusioni matricis & duri-

& duriciēi, quæ est in ipsa, unde conceptio impediri
 posset. Secundus est, porrum naris retinere cruo-
 rem, id est, sanguinem è naribus effluentem, id quod
 testatur & Auicē. ibidem. Ceterum plura de hoc
 hæc sunt supra cap. 13.

DE PIPERE. CAP. LXXV.



Quod piper est nigrum non est dif-
 soluere pigrum.
 Phlegma purgabit, digestiuamq; iuua-
 bit,
 Leucopiper stomacho prodest tussiq;
 doloriq;.

DE CONSERVANDA

Vtile, præueniet motum febricq; rigorem.

Ecphrasis.

Multæ hisce uersibus comprehenduntur utilitates piperis. Et primo quidem tres piperis nigri. Quarum prima est, piper nigrum non esse pigrum in dissoluendo, id est resoluendo, ob fortem eius tum caliditatem tum siccitatem. Calfacit enim atq; desiccatur in 4. ordine. Secunda est purgare phlegmata, quia extrahit phlegma ex interiore corpore, ipsumq; concoquit, similiter & phlegma pectori ac stomacho inherens calfaciendo, extenuando, & dissoluendo expellit, Tertia est, iuuare uirtutem digestiuam. Auicenn. 2. Can. cap. 558. Piper inquit, est digestiuum, faciens appetitum, idq; maximè intelligendum de pipere longo, quippe quòd flatuosi spiritus crassitudinem soluit, & quæ in præcordiis pigra cessant aduenirem depellit, & concoquendis quæ sumpseris subuenit, inquit Gal. li. 4. de sanitate tuenda.

Secundo uerò loco quinq; recensentur commoditates leucopiperis, id est, piperis albi. Prima est, piper album confortare stomachum, id quod ibidem Galen. testatur. Album utiq; supra duo reliqua genera uentrem roborat. Auicenna quoque loco citato sic inquit: Et album magis conueniens est stomacho, & uehementius confortat. Secunda est, piper conferre tussi, maximè ex materia frigida phlegmatica, illam enim calfacit, dissoluit & incidit.

dit. Auicenna ibidem. Quando, inquit, administratur piper in electuarijs, est conueniens tussi & doloribus pectoris. Tertia est, piper album conuenire dolori, id quod intelligi potest uel de dolore pectoris, quemadmodum iam dictum est ex Auicenna, uel de dolore uentoso. Huic enim omne piper conuenit, siquidem omne piper ob excalfaciendi facultatem uentositates discutit & expellit. Auicenna ibidem dicit, piper album & longum conuenire dolori uentris pungitiuo, si bibatur cum melle & folijs lauri recentibus. Quarta est, conuenientissimè exhiberi ante motum febris, id est, accessionem siue paroxysmum, & hoc in febris frigida. In huiusmodi enim piper materiam quodammodo calfacit & digerit. Quinta est, piper album in rigore februm plurimum ualere, quia caliditate sua confortet neruos, & materiam in eis sparsam consumit. Auicenna ibidem sic inquit: Ericando fit inunctio ex ipso cum unguento, & confert rigori. Et hæc quinque utilitates, non minus & alijs piperum generibus conueniunt, ut ex Auicenna liquet. Præterea uerò, adeo piper calfacit neruos & laetatos, ut in hoc non habeat sibi par, mundificat pulmonem: parua quantitate sumptum, prouocat urinam, magna uerò, soluit uentrem. Auicenna ibidem. Est porrò triplex piperum genus: album, longum, & nigrum. Fructus florentis aut germinantis etiam dum arboris longum dicitur piper. Fru-

DE CONSERVANDA

Etus autem immaturus & acerbus album piper nominatur. Nigrum, quod iam sole superassatum & exiccatum est.

DE GRAVITATE AUDITVS.

CAPVT LXXVI.



ET mox post escam dormire, nimisq; moueri. Ista grauare solēt auditus, ebrietasq;.

Ecphrasis,

Heic recensentur 3. auditum grauantia. Primum est, dormire immediate à sumpto cibo, & maxime, si uenter eo refectus fuerit. Hoc enim digestionem impedit, & cruditates gignit, hinc crassi & indigesti sumi procreantur, qui crassitie sua auditus meatus oppilantes, auditiones spiritus incrassant & perturbant. Secundum est, nimius motus à sumpto cibo. Quemadmodum enim bonæ ualeitudini (inquit Gal. in lib. de cibis boni & mali succi) ante cibum exercitatio maximum adfert commodum, ita qualiscunq; sumpto cibo motus noxius admodum est, Alimentum enim ex uentre ante concoctionem in diuersas corporis partes distribuitur, proptereaq; crudi humoris copia aggeritur, Vnde crassi uapores sursum elati meatus auditus obstruunt. Idem lib. 6. de ualetudine tuenda. Non leue, inquit,

inquit, incommodū nonnullis accidit, cum repleti cibo se exercitant, nonnullis enim caput impletur uaporibus. Tertium est, ebrietas, hinc enim resoluuntur multi sumi & uapores, qui ad caput & organum auditus praelati, spiritum eius perturbantes, auditum grauant. Neq; auditui modò ebrietas nocet, uerum etiam uisui & omnibus sensibus. Auic. 4.3. cap. 2. Ex eis quidem, inquit, quæ nocent auri & reliquis sensibus sunt fastidium, & repletio, & propriè somnus super repletionem. In nonnullis exemplaribus etiam hic uersus adscriptus habetur:

Balnea, sol, uomitus, adfert repletio, clamor.

Nec malè quidem. Siquidem & hæc Auicenna 4.3. cap. 11 teste, auditum grauant, tinnitumq; generant. Oportet, inquit, ut omnes isti uitent solem, & balneum laboriosum, & uomitum, & clamorem, & repletionem.

DE TINNITV AVRIVM:

CAPVT LXXVII.

MOTUS, longa fames, uomitus, percussio, casus.

Ebrietas, frigus, tinnitum caussat in aure. Ephrahis.

Septem hoc loco enumerantur, unde tinnitus, siue sonus aurium generari solet. Quorum primum est motus, ex motu enim corporis inordinato & uehementiori, commouentur humores, & spiritus, generaturq;

DE CONSERVANDA

neraturq; uentofitas, quæ ad auris penetrans tinnitum facit. Tinnitus enim nascitur ob aliquam uaporis aut uentofitatis circa organum auditus commotionem, unde connaturalis in organo auditus aer commouetur. Secundum est, longa fames, ratio est, apud Auicennam 4. 3. cap. 9. Et illud est, inquit, propter agitationem cadentem in humoribus sparsis in corpore, quiescentibus in ipso. Et cum non inuenit natura cibum aliquem, conuertitur ad eos, & resoluit ipsos, & mouet eos. Tertium est, uomitus, in uomitu enim cum fiat motus uehementior, humores ad caput feruntur: unde quandoque oculi & facies rubescunt, & uisus sequitur imbecillitas, nonnunquam uerò uapores ac inflationes ad organum auditus pertingunt, tinnitumq; reddunt. Quartum est, percussio spheræ capitis, & maxime secundum aurem. Hinc enim aëri auditus connaturali uehementius commoto spiritus accedit, quia natura membro aliquo læso, statim eò spiritum & sanguinem, peculiaria instrumenta sua, dirigit. Vnde Galen. in lib. de renum adfectus dignotione. In omni, inquit, motione sanguis & spiritus concurrunt, qui sunt naturæ uehicularia. Hinc deinde in aure fit commotio.

Quintum est casus, & maxime supra caput, ob eandem causam quæ dicta est de percussione. Ex quocunq; etiam casu uehemens fit commotio in corpore humorum. Sextum est ebrietas, quia in ebrietate

tate

late caput repletur fumis & uaporibus, quibus ad organum auditus penetrantibus commouetur aer connaturalis in organo auditus. Septimum est frigus, ex nimio enim frigore debilitatur auditus organum, & calor naturalis cerebri, caussanturq; uentositates, quæ ad aureis penetrantes, nullo negotio tinnitum cient. Neque solum ex dictis causis tinnitus aurium accidit, uerumetiam ex compluribus alijs, ueluti ex flatuoso spiritu in capite generato, ac commoto. Aut, ut inquit Auicenna loco citato, ex sonitu sanici, quæ generatur fortasse in ipsa aure, & ex feruore paris in partibus eius, aut ex motu uentositatis accidentis multoties in meatibus eius, sicuti fit in febribus, aut ex repletione superflua in corpore, & propriè in capite: aut ex materia uiscosa, resoluta in paucam uentositatem: aut ex medicinis, quarum proprietas est, ut retineant humores, & uentositates in partibus cerebri.

DE NOCVMENTIS VISVS.
CAPVT LXXVIII.



B Alnea, uina, Venus, uentus, piper,
allia, fumus,
Porri

DE CONSERVANDA

Porri cum cepis, faba, lens, fletusq; finapi.

Sol, coitusq; ignis, labor, ictus, acumina, puluis,

Ista nocent oculis, sed uigilare magis.

Ecphrasis.

Fit hoc loco mentio 21. rerum, oculis noxam inferentium. Quarum prima est balneum, idque cum humidum, tum siccum, hoc stupha barbaris dicitur, Latinis uerò aëreum, illud cina uulgo, Latinis solum appellatur. Verum duplici ratione oculis nocet. Primo quidem calore immodico eos excalfaciens complexionem eorundem destruit. Natura enim frigidi sunt & aquei, deinde uerò tenuiores humiditates, quibus spiritus uisui ijq; igni temperantur, res cillanturq; exiccat, & resoluit, Quamobrem circa Rhenum, eo quòd plurimum stupha ac balneo utantur, plures cœci reperiuntur, quemadmodum apud Holandos, ob inordinatam dietam & uitæ regimen, plures leprosi. Secunda est uinum, idq; immodicè sumptum. hoc enim oculos & uisum debilitat, quia replet caput fumis & uaporibus, unde etiam omnes sensus hebetiores reddit. Tertia est, Venus, id est, nimius usus coitus, quem omnes medici prohibent uisum plurimum lædere. Aristot. Sectione 4. problemat. 3. hanc assignat causam, quòd scilicet per coitum auferatur quod oportunitum est oculis. Oportet enim humidum aqueum subtile eis inesse,
in quo

in quo uisibiles spiritus fulciantur. Nam oculus natura est humidus, unde idem, in lib. de sensu et sensibili capit. 2. & lib. 5. de generatione animalium ^{lib. 5.}
 1. Refert oculum esse de natura aquae, sed euulsis humidis & euacuatis, contingit superiora desiccari, quare oculi à sua decedunt natura, qui humiditate uigebant. Merito autem oculi uigent humiditate, quia per spiritus igneos, qui sunt in frequenti motu euanescerent, nisi humido sustentarentur. Et hinc manifestum est coitum exiccare partes superiores, subtrahendo humidum, unde laesio sequitur aciei uisus. Quarta est uentus, & praecipue Meridionalis, de quo Hippocrat. lib. 3. Aphoris. 5. Austri auditum hebetantes, caliginosi, id est, caligine quadam oculos obfundentes, quia sensuum instrumenta plurima implent humiditate, & capitis grauitatem efficiunt. Principio autem neruorum humectato, necesse est & circa uoluntarios motus pigritiam euenire, & ueluti in se ipso dissolutum hominem apparere. Quinta est Piper, quod acrimonia sua gignit fumos, qui oculos mordicant. Sexta Allium, quod acrimonia & uaporibus, quibus caput implet, uisui nocet. De hoc supra capit. 13. Septima, Fumus, nam & hic propter mordicationem & exiccationem oculis infestus est. Lege Aristotel. de hoc, sectione 31. problemat. 22. Octaua, Porrum, ex cuius usu generantur fumi crassi melancholici, oculos

DE CONSERVANDA

rum aciem hebetantes, ut dictum est cap. 13. **Nona,** Cepæ, Quorum comestio ac redine sua similiter oculis nocet. **Decima.** Faba, generat enim fumum cras-
sum melancholicum, obtenebrantem spiritus uisuos, sicut & Porrum. Quare etiam comestio fabarum somnia parit terribilia, & horrenda. **Vndecima,** Lens, de qua Auicenna. 2. Canon. capite 449. Illius, inquit, qui plurimum eius comestione utitur, uisus ob-
tenebratur, propter uehementiam exiccationis eius: **Duodecima.** Fletus, scilicet nimius, debilitat enim oculos, eo quòd retentricem oculorum facultatem debiliorem reddat. **Decimatertia,** Sinapi, quod propter acrimoniam uisum debilitat. **Decima-**
quarta, Adspectio solis, & hoc propter eximium e-
ius nitorem ac splendorem, quibus destruitur uisus, ut constat manifesta experientia & ratione. Sensibile enim excellens, sensui non proportionatum, cuiusma-
di sunt radij solares, corrumpit sensum. **Decima-**
quinta, Coitus, & maximè post nimiam repletio-
nem, uel nimiam inanitionem, ut dictum est paulò su-
prà. **Decimasexta,** Ignis, cuius inspectio & splen-
dor oculos uehementer exiccat, plurimumq; lædit. Quare fabri ferrarij, & quorū operatio fit ad ignem, rubeos serè et debiles habent oculos. **Decimasep-
tima,** Labor, scilicet nimius, quia sanguinè efficit sic-
ciorem, sicut & reliquum corpus. Siccitas autem to-
tam cutem indurat, ergo uel eam qua pupilla integri-
tur. Itaq; uis illa conspiciendi cooperitur, & delitescit.

cit. Lege Aristot. Sectione 3. 1. problemat. 14. Decima octaua, percussio secundum oculos, lædit enim oculos & uisum, eò quòd inde sanguis fluat ad oculos spiritum uisuum perturbans, & aliquando apostema generans. Decimanona, nimius usus rerum acutarum, cuiusmodi sunt salsamenta acria, fumorum atrimoniam generantia. Vicesima, puluis, siue inambulatio in locis puluerulentis, unde facillimè puluis ad oculos pertingit, uisumq; obscurat. Vicesima prima, uigilie immodicæ, quæ cæteris omnibus excellentius oculos exiccant. Auicenna. 3. 3. Tract. 4. cap. 4. Omnis, inquit, repletio nocet oculis, & omne quod exiccat naturam, & omne quod turbat sanguinem ex rebus salsis acutis & alijs, & omnis ebrietas. Vomitus uerò confert ei in quantum purgat stomachum, & nocet ei, in quantum mouet materias cerebri, expellendo eas & ipsum. Et si fuerit uomitus necessarius, debet fieri post cibum, & cum facilitate. Et somnus superfluus nocet uisui, & somnus statim post repletionem, & multitudo phlebotomiæ, & propriè cum uentosis continuis.

DE CONFORTANTIBVS

uisum. CAP. LXXIX.

FOeniculus, Verbena, Rosa, & Chelidonia, Ruta.

Existis fit aqua, quæ lumina reddit acuta.

DE CONSERVANDA

Ephrasis.

Heic quinque recensentur herbe, quarum aqua siue liquor stillaticius confert uisui. Prima est Foeniculum, cuius succus in oculo positus, acuit uisum, inquit Rhazes 3. ad Mansorem capit. 47. Secunda, Verbena, cuius aqua ocularibus medicamentis plurimum commiscetur. Tertia, Rosa, cuius aqua confortat spiritum animale, & uisum. Dioscor. lib. 1. Quarta, Chelidonia, quæ herba succum habet croceum. Hoc nomen sibi uidetur uendicasse, quòd aduentu hirundinum exoriatur, & discessu emarefcat, teste Dioscor. Quinta, Ruta, herba uulgaris notitiæ, de qua Dioscor. lib. 3. Visus, inquit, aciem excitat, dolores oculorum illita cum polenta lenit. Sed de his herbis satis dictum est supra in diuersis & proprijs capitibus.

CONTRA DOLOREM DENTITUM. CAP. LXXX.

Sic dentes serua, porrorum collige grana.

Vre cum hyoscyamo simul, utere iure decenti.

Sicq; per emborum fumum cape dente remotum.

Ephrasis.




DE CONSERVANDA

autem seminis porri uirtus inest interficiendi & ei-
ciendi uermis, in concauitatibus dentium in tollerabi-
lem quandoq; dolorem excitantis. Auic. 2. Cano. cap.
549. teste. Porrū uulgaris est notitiæ. Hyoscyamus ue-
rò herba est stupefactiua, cauleis emittens crassos, fo-
lia lata, oblonga, diuisa, nigra, hirsuta, pingua et fœ-
tida, flores è latere caulis ordine prodeunt, tanquam
punicorum cytini, scutulis septi seminum plenis, ut
papaueris, de quo Macer:

Ore diu tepidum si contineatur acetum,
Quo sint decoctæ radices illius herbæ,
Dicitur immodicum dentis pacare dolorem.

DE RAUCEDINE VOCIS.



NVx, oleum, frigus capitisq̄, anguillaq̄, potus.

Ac pomum crudum, faciunt hominem fore raucum.

Heic recensentur sex causse raucedinis uocis.

Prima est, nux, nuces enim ualde exiccant, unde uocem exasperant, similemq̄; gruū uocibus reddunt.

Secunda, Oleum, cuius partes aliquæ uiscosæ, ipsi pulmonis cannae adherent, raucedinemq̄; faciunt.

Secundo uerò loco, & cholericis corporibus raucedinem excitat, quia oleum in ijs citò inflammatur, unde exasperationem & raucedinem inducit. Sed prima ratio uidetur potior.

Tertia, frigus capitis, quia inde fit compressio cerebri. Quare humores deorsum ad guttur & cannam pulmonis defluunt, raucedinem propter nimiam humectationem cannae causantes.

Quarta, anguilla, quia ex esu eius phlegmata uiscosa multiplicantur, quæ ad cannam pulmonis penetrantia, atq; ibidem adherentia, raucedinem inferunt.

Quinta, potus, scilicet nimius, & maxime quando itur dormitum, quia & inde canna pulmonis plurimum humectatur, quæ potissima est caussa raucedinis uocis, secundum omnium medicorum sententiam.

Sexta, pomum crudum, quatenus enim crudum existit, phlegmata multiplicat. Et si præterea immaturum, stypticum, siue ponticum fuerit, guttur exasperat.

DE CONSERVANDA

CONTRA REVMA.

CAPVT LXXXII.

IEiuna, uigila, caleas dape, tuq; labo-
ra,

Inspira calidum, modicum bibe, com-
prime flatum.

Hæc benet u serua, si uis depellere rheu-
ma,

Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catar-
rhus,

Ad fauces branchusq; , ad nareis esto
coryza.

Heic septem enumerantur, quibus curatur rheu-
ma. Primum est Abstinentia, siue ieiunium, per
hoc enim materia rheumatis diminuitur, quia absti-
nentia exiccat materiam, meliusq; maturat & consu-
mit. Natura enim destituta cibo in quem agat, in ma-
teriam rheumatis agit, eamq; consumit, unde & ca-
put minus repletur. Auicē. 5. 3. Tract. 1. cap. decimo
tertio. Et oportet quidem, inquit, ne patiens catar-
rhum & coryzan, repleat uentrem cibis, qua re re-
pleatur caput eius.

Secundum, Vigilia, nam & hæc exiccant cere-
brum, & prohibent ascensum multorum uaporum
ad caput. Tertium, cibi calidi: qui plurimum con-
ferunt rheumati, ex materia frigida, hæc enim per il-
los digeritur. Quartum, Labor, nam & per hunc
materia

materia rheumatis consumitur, labor enim exiccat superfluitates corporis. Quintum. Inspiratio aëris calidi, idq; maximè in catarrho ex materia frigida, per aërem enim calidum inspiratum, calescit materia, & maturatur. Sextum est. Modicum bibere, & quasi siti torqueri, siquidem & hoc modo rheumatis materia consumitur, sitis enim siue parua portio exiccat, neq; per paruam potionem tanta fit repletio, quanta per magnam. Septimum est, Comprimere flatum, id est, anhelitum, hoc enim ualde confert catarrho, & maximè in causa frigida, quia per retentionem anhelitus calescunt ea quæ sunt pectoris, ut melius digeratur materia frigida, phlegmatica, faciens catarrhum. Vnde Auicenna loco citato. Oportet, inquit, ut adsiduet calsectionem capitis, & elongationem eius à frigore, & minuat ipsum à Septentrione, & propriè post Austrum. Auster enim replet & rarificat, Septentrio constringit & exprimit: & minoret potum aquæ congelatæ, neq; dormiat in die, siliat, & famem patiatur, & uigilet quantum potest, quia sunt initium curæ. Rhazes 9. ad Mansorem, cap. 14. præcipit ut uitetur decubitus supinus, ne peccans humor in posteriorem partem, & dorsalem medullam fluat, neq; cum posterior pars supinus manifesto careat meatu, unde fluat materia, ad neruos decubitus penetret, & spasnum siue paralyfin generet.

Abstinentium quoq; omnino à uino. Vinum enim cum sit uaporosum, & calidum, dissoluit materiam,

DE CONSERVANDA

Et auget rheuma. Neq; stare conuenit ad solem, ut ignem, quia sol & ignis dissoluendo materiam auget rheuma.

Duobus ultimis uersibus refertur differentia, inter catarrhum, branchum, & coryzan.

Rheuma. Rheuma autem est nomen generale, ad quemlibet fluxum materiae. ἀπὸ τοῦ ῥέω, id est, fluo. Ferè tamen accipitur per eo fluxu, qui ex capite delabitur.

Continet uerò in se tres species, uel membra. Catarrhum, branchum, & coryzan: unde si materia fluat ad pectus, uel membra uicina, dicitur catarrhus. Si ad fauces siue asperam arteriam, Βράγχος graecis, latinis rauedo: si uerò ad nares, κόρυζα, siue grauedo.

CONTRA FISTULAM.

CAPVT LXXXIII.

Auripigmentum, sulphur, miscere memento,

His decet adponi calcem, coniunge Saponi,

Quatuor hæc misce, commixtis quatuor istis,

Fistula curatur quater ex his si repleatur.

Hoc loco traditur confectio emplastri pro curatione fistulae, ex auripigmento scilicet, sulphure, calce, & saponi. Quia in his omnibus est uirtus exiccantia & mundificatiua, quæ necessario requiruntur in cura

in curatione fistulae. Auripigmentum, inquit Platearius, calidum est & siccum in 4. gradu, dissoluit, attrahit, consumit, & mundificat. Sulphur item et Sapo, secundum eundem, calida sunt & sicca, sulphur quidem calidum est & siccum in 4. Sapo uero remissius. De calce Aui. 2. Can. cap. 148. sic inquit. Calx abluta est exiccatiua, sine mordicatione, & consolidat. Est porro fistula, uulnus assidue & periodicè fluens, id est, secundum diuersa tempora, siue diuersas lunationes. Auripigmentum est, quo utuntur sculptores, & siue metallum lapidibus conglutinantes. Sapo siue σμύρον, est pinguedo illa alba, siue nigra, qua mulieres uesteis lauant & emundant.

DE NUMERO OSSIVM, DENTIVM, & neruorum in homine.

CAP. LXXXIII.

Ossibus ex denis bis centenisque nouenis,

Constat homo, denis bis dentibus & duodenis.

Ex tercentenis decies sex quinqueque uenis.

Hoc loco habetur numerus ossium, dentium, & uenarum corporis humani. Dicitur autem primo homo constare ducentis nouemdecim ossibus. Summis tamen & maioris autoritatis medicinae doctoribus, Hippocrati nimirum, Galeno, Rhaze, Auerrho,

DE CONSERVANDA

rhoi, & Auicennæ placet, ossa hominis esse 248. tametsi in particulari enumeratione ossium minus conueniant. Hinc ille uulgatissimus uersus:

Ossa ducentena atq; quater sunt & duodena.

Dentes.

Secundo dicitur homini inesse triginta duos dentes, & hoc intelligendum ut plurimum in hominibus perfectis. Aliquando enim contingit, ut quidam careant dentibus quatuor extremis, qui post molares sunt, & ij dentes habent duntaxat 28. Aliqui carent his dentibus ultimis in pueritia tantum, alij in pueritia, & iuuentute, ita ut eis non nascantur donec senescant, alij ijs per totam uitam destituuntur. Auicenna. 1.1. Doctr. 5. Sum. 1. cap. 5. Dentes quidem, inquit, sunt triginta duo, contingit tamen nonnunquam homines quosdam non habere quatuor extremos, unde tunc non erunt nisi 28. Eorum uerò duo sunt duales, & duo quadrupli superius, & totidem inferius ad incidendum. Et duo dentes anteriores, & duo quadrupli iunguntur dualibus à dextris & sinistris, & tam duales quàm quadrupli, sunt duo in superiori mandibula, & duo in inferiori. Et sunt omnes ordinati ad incidendum, ideo à græcis Τεμνικοί, id est, incisores uocantur, præcipuè duales. Et post hos duo sunt qui uocantur Κυνοδόντες, id est, canini, superius, & duo inferius immediatè coniuncti quadrupli, quorū officium est mandere, & escas duriores confringere. Hos sequuntur dentes maiores, à dextris & sinistris quatuor, tam in superiori quàm inferiori mandibula.

bula. Deinde in quibusdam est dens unus sensus, tam à dextris quàm sinistris, tanquam in inferiori quàm superiori mandibula, in quibusdam uerò non. Et sunt dentes illi molares & sensus omnes ordinati ad molendum. Et summa toties numeri dentium est 32. uel 28. in non habentibus dentes sensus. Sunt autem hi quatuor duales, quatuor quadrupli, & quatuor canini, sedecim molares, & quatuor dentes sensus. Tertio dicitur hominem habere 365. uenas, id quod Anatomia constat.

DE QUATVOR HUMORIBVS
corporis. CAP. LXXXIX.

Quatuor humores in humão corpore constant,
Sanguis cum cholera, phlegma, Melancholia.

Terra melanch, aqua phleg. aër sanguis,
cholera. ignis.

Heic agitur imprimis de humoribus ad humani corporis constitutionem necessarijs. Sunt autem 4. Sanguis scilicet, phlegma, cholera, & melancholia. Deim ostenditur natura & complexio eorundem cum cõparatione ad elementa. Melancholia est frigida et sicca, & comparatur terræ, quæ similis naturæ est. Phlegma frigidum est & humidum, & comparatur aquæ. Sanguis est calidus & humidus, & comparatur aëri. Cholera uerò est calida et sicca, & comparatur igni. Vnde uersiculi uulgares: Humis

DE CONSERVANDA

Humidus est sanguis, calet, est uis aëris illi,
Alget phlegma, humetq; illi sic copia aquosa est.
Sicca calet cholera, & sic igni fit similata.
Frigens, sicca, melancholia est, terræ adsimilata.

Sanguis. Auic. 1. 1. Doctr. 4. capit. 1. attestante, sanguis inter humores præstantissimus est, uel quia est materia spirituum, in quibus consistit uita, & omnis operatio uegetatiua, uitalis, & animalis. Vel quia conformis est principijs uitæ. Est enim calidus & humidus temperatè, uel quia plus nutrit & instaurat deperditum quàm cæteri humores. Et ut uno uerbo dicam, thesaurus est naturæ, ut quo amisso statim mors consequatur.

Phlegma. Secundum probitatis locum sibi phlegma uendicat, uel quia tēpore necessitatis concoctione in sanguinem mutatur: atq; hac ratione nullum proprium habet receptaculum, sed cum sanguine commixtus incedit, Vel quia uicinus est radicali humido, quod est quasi basis uitæ.

Cholera. Deinde sequitur cholera, quæ participat naturali calori, quàm diu mensuram seruat.

Melancholia. Hinc melancholia sequitur, uelut fex ac sedimentum sanguinis, elongata à principijs uitæ, inimica lætitiæ & liberalitati, & cognata senio ac morti. Sanguinis autem duæ sunt species, naturalis scilicet & innaturalis. Naturalis quidem, cuius color ruber est, uenalis scilicet ruber obscurus, & arterialis ruber clarus, expers mali odoris, & admodum dulcis,
& hoc

Et hoc respectu aliorum humorum. Innaturalis duplex est. Quidam enim innaturalis est qualitate, mutatus scilicet à complexione bona in se, sine alterius humoris commixtione. Alter innaturalis est, propter humorem malum ei commixtum, peccantem qualitate, substantia, uel quantitate, uel in proportione alterius ad alterum. Et hic duplex est. Nam quidam est non naturalis, ex permixtione mali humoris, extrinsecus superuenientis. Alter nõ naturalis est, ex permixtione mali humoris generati in ipsomet sanguine, quando pars sanguinis tenuior putrescens in choleram, & crassior in melancholiam conuertitur, earumque uel altera, uel utraq; in sanguine permanet.

Et hic sanguis non naturalis ex admixtione mali humoris, à naturali multifariam differt. Primo in substantia, quia crassior & turbidior est, cum misceatur ipsi melancholia, tenuior cum commisceatur ei cholera uel aquositas. Secundo in colore, quia declinat ad albedinem ratione phlegmatis, uel ad nigredinem, ratione melancholice. Tertio in odore, quia magis foetidus est ex admixtione putridorum humorum. Quarto in sapore, quia uergit ad amaritudinem propter admixtionem cholere, uel ad acetositatem ex parte melancholice, uel ad insipiditatem, ratione phlegmatis.

Phlegmatis uerò naturalis due similiter species habentur.

DE CONSERVANDA

bentur, naturale scilicet & innaturale. Naturale est, quod concoctione in sanguinem mutatur, quia sanguis est bene coctus. Et est quidam dulcis phlegmatis, quod non ualde existit frigidum, imò comparatione paucæ est frigiditatis, us agnini uerò & flauæ bilis comparatione est frigidum & naturaliter album.

Phlegma dulce. Et dicitur phlegma dulce, extenso hoc nomine dulce ad omnes sapes delectabiles, quia alio modo phlegma naturale non est dulce, cum sit insipidum, aquosum, & sapor aquæ ualde propinquum. Hinc natura proprium receptaculum machinata non est, sicut cholerae & melancholiae, sed reliquit ipsum cum sanguine mixtum, ut tempore necessitatis, in sanguinem conuertatur: habet enim similitudinem sanguini propinquam.

Et huius phlegmatis, duæ sunt necessitates, ac una utilitas. Prima necessitas est, ut sit iuxta membra, in hoc ut operentur in ipsum uirtutes eorum, coquant, digerant, & nutriantur inde cum amiserint nutrimentum suum, quod est sanguis bonus propter retentionem materiae sanguinis, quæ quidem retentio fit à stomacho & epate, ob causas quasdam accidentales. Secunda necessitas est, ut misceatur cum sanguine, ipsumq; nutriendis membris phlegmaticæ constitutionis accomodet, cuiusmodi sunt cerebrum & nuca, quorum sanguini, non minimam phlegmatis partem admixtam esse conuenit.

Utilitas uerò eius est, ut humectet iuncturas & membra,

membra, quæ in iugi & continua motione sunt, ne desiccantur, ob calorem, ex motu & collisione prouenientem. Phlegma autem innaturale diuiditur, Primò secundū substantiam, aliud enim mucilaginosum est, aliud uerò secundum sensum diuersum in tenuitate & crassitie suarum partium. Dicitur autem mucilaginosum, ob similitudinem quam habet cum macilagine è seminibus extracta.

Phlegma crassum apparet æquale in substantia, Crassum.
id est, tenuitate & crassitie, secundū sensus iudicium: reuera tamen in partibus suis diuersum est, & dicitur phlegma crudum, multiplicatur autem in stomacho & intestinis. Quod à stomacho euacuari uomitibus singulis mensibus, Hippoc. consulit in lib. de uictus ratione priuatorum. Et ad eius quidem expulsionem siue excretionem ab intestinis, natura statuit ut cholera à cysti fellis ad intestinum icinnium, & ad alia inferiora defluat, eaq; à pituitosis excrementis expurgat, & abstergat, atq; eorundem excretionem adiuuet. Interdum & in uenis multiplicatur, & præcipuè in senibus propter diminutionem digestionis, & illic moram trahens paulatim augetur & crassescit, & cum inde tandem grauetur natura, nec possit ipsum per ordinarias expulsionis uenas repellere, facit de possibilibus id quod melius est, elongatq; à corde & reliquis membris intrinsecis, propellens ad exteriora, præsertim ad tibias, quia propter grauitatē suam, naturaliter ad inferiora tendit. Et hæc causa

DE CONSERVANDA

est, cur tibie scenum inficiuntur, adeo q̄; intumescant, ut post digiti impressionem, in ijs uestigium ac fouea relinquantur, & maximè adpropinquante nocte, idq̄; in pinguibus etiam & ijs qui humido nutrimento gaudent, euenire solet.

Tenuè.

Aliud phlegma est ualde tenuè & aquosum, simile aque aliquantulum inspissatè, & sepe inuenitur in saluiis & sputis eorum, qui malè digerunt nimisq̄; bibunt. Solet autem à cerebro ad nares distillare in principio corysæ, quod per decoctionem in crassatū in phlegma crassum aut mucilaginosum conuertitur.

Gypseum

Aliud phlegma est ualde crassum, album, quod uocant gypseum, cuius tenuè resolutum est propter diurnam eius in iuncturis moram, crassum autem cœu lapis induratum remansit. Et hoc phlegma facit podagram nodosam ferè incurabilem. Vnde Ouidius: Soluere nodosam nescit medicina podagram.

Vitreum.

Aliud phlegma est uitreum, spissum, crassum, & uitro liquefacto in colore, uisconsitate & pondere simile. Secūdo diuiditur phlegma in naturale ex parte saporis. Quoddam enim dulce est ex admixtione sanguinis sub quo etiā continetur phlegma unctuosum, quod fit ex admixtione unctuositatis sanguinis cum phlegmate.

Salsum.

Aliud phlegma est insipidum ex cruditate, sicut et quoddam uitreum.

Aliud est salsum ex admixtione cholere. Et hoc est mordacius, siccius, & leuius cæteris speciebus phlegmatis, ob choleram quam in se admittit, hæc enim sic
ca, leuis.

ea, leuis, & acuta est. Sæpe hoc reperitur in stomacho
 his frequenter fortia uina bibentium, & utentium
 salsis & acutis. Adhærens autem stomacho, causat in-
 terdum sitim uehementem, diuq; per intestina dis-
 currens, ea quandoq; excoriât & dysenteriam pa-
 rit, siue tenasmm.

Aliud phlegma est acetosum, quod fit quandoq; ob **Acetosum**
 melancholiam acetosam ipsi admixtam, quandoq; ue-
 rò ob ebullitionem, quæ accidit phlegmaticis, non se-
 cus atq; dulcibus succis fructuum accideri solet, hi e-
 nim primo ebulliunt siue feruent, & deinde acescunt.
 Et hoc phlegma sæpius reperitur in stomacho malè
 digerentium, quàm in alijs partibus, Nam ad os stoma-
 chi naturaliter melancholia profluit, ad desyderium
 excitandum, quæ deorsum cadens & phlegmati mix-
 ta ipsum quandoq; acetosum reddit. Id quod cogno-
 scitur per ructos acidos. Interdum etiam phlegma ta-
 le generatur in stomacho per uiam ebullitionis à de-
 bili calore ex chylo.

Aliud phlegma est ponticum, quod quandoq; ex **Ponticum**
 admixtione melancholice pontice generatur. Rarò ta-
 men reperitur, propter melancholice pontice rarita-
 tem: quandoq; uerò oritur ex uehementi infrigidatio-
 ne, qua humiditas eius congelatur, & nonnihil ad ter-
 restrem substantiam inalteratur, neq; superuenit ei
 calor debilis, quo ebulliens in acetositatem conuertat-
 tur, neq; calor fortis, qui digerens ipsum, in sangui-
 nem commutet.

DE CONSERVANDA

Cholerae uerò species similiter duae sunt. Naturalis scilicet, & innaturalis. Cholera naturalis est spuma sanguinis, cuius color est ruber clarus, id est, citrinus in ultimo citrinitatis gradu, sicuti capillamenta croci, estq; leuis & acuta, & quo calidior est, eò magis etiam rubet. Et hæc cholera in epate generata, in duas partes diuiditur. Quarum una cum sanguine ad uenas defertur, altera ad cystam fellis transmittitur. Pars autem, quæ cum sanguine transit, cum eodem necessitatis & utilitatis causa penetrat. Necessitatis quidem, ut misceatur cum sanguine pro nutritione membrorum cholericorum. Utilitatis uerò, ut extenuet sanguinem, quo commodius in uenas penetret. Pars autem illa, quæ transit in cystam fellis, consimiliter propter necessitatem & utilitatem transmittitur. Necessitas est duplex, quædam enim est corporis totius, ut uidelicet mundet ipsum à superfluitatibus cholericis. Altera est respectu cystis fellis, ut nutriat ipsum. Utilitas quoq; duplex est. Vna, ut abluat intestina à fecibus & phlegmate uiscoso, eis adhaerente. Altera ut pungat intestina & musculos ani, ad excernendum quod in eis noxiuum est. Cuius rei signum est, quòd colica sæpe accidat, propter oppilationem foraminis, quod à cysti fellis usq; ad intestina procedit.

Cholera uerò innaturalis duplex est. Nam una est innaturalis, ob causam extrinsecam, quæ ei admiscetur. Altera ob causam internam, quia substantia eius

eius non est naturalis. Cholera innaturalis ob causam extrinsecam, alia est famosa, cui phlegma admiscetur, & dicitur famosa siue notha, quòd sæpissimè generari solet. Ex hac sæpe fit tertiana notha. Altera est minoris fame, cui scilicet melancholia admixta est. Cholera uerò famosa, uel est citrina, & generatur ex admixtione phlegmatis tenuis cum cholera naturali, uel est uitellina, ouorum uitellis similis, & generatur ex admixtione phlegmatis crassi cum cholera naturali. Cholera autem minoris fame, duobus fit modis, uel quando cholera in se aduritur & in cinerem conuertitur, unde pars tenuis cholera non separatur: & hæc est peior. Vel quando melancholia cholera extrinsecus accedens, cum ea miscetur, & hæc est melior: calor eius ruber est, non tamen clarus, neq; floridus, sed sanguini uenali similior. Cholera uerò innaturalis secundum propriam substantiam, sine alterius humoris commixtione: alia quidem sæpius in epate generatur, per adustionem eius quod in sanguine est tenuitus, cum crassum in melancholiam conuertatur. Alia uerò in stomacho ex cibis malis non digestis, sed corruptis. Vel generatur in uenis ex humoribus alijs. Et huius duæ sunt species. Nam quædam est prasina, similis colori prasij nigri, quæ generatur ex uitellina quando aduritur. Adustio enim in cholera uitellina facit nigredinem, qua commixta cū citrinitate, generatur color uiridis. Alia est eruginosæ, in colore erugini æris similis, & generatur ex pra

DE CONSERVANDA

sina, quando eo usq; aduritur, donec humiditas eius
 exiccetur, & ob siccitatē albescat. Et hæc duæ ultimæ,
 male sunt & uenenosæ, æruginosæ tamen peior est.

Melancholice species itidem duæ sunt, naturalis scilicet
 & innaturalis. Naturalis est sex boni sanguinis
 & turbulentia & superfluitas, cuius sapor inter dul-
 cem & ponticum medius est. Et hæc in epate genera-
 ta, in duas partes diducitur, quarum una cum sangui-
 ne ad uenas penetrat, altera ad splenem transmitti-
 tur. Prima pars penetrat cum sanguine ob necessita-
 tem et utilitatem. Ob necessitatem quidem, ut nascatur
 cum sanguine, ad nutrienda membra melancholice,
 frigida & sicca, sicut ossa. Ob utilitatem uero, ut
 fluxibilitatem sanguinis nimiam coercet, & ut igore
 corpulentiam eius condenset, donec fiat pars solida
 membrorum duorum inde nutriendorum. Altera
 pars, qua sanguis non indiget, promanat ad sple-
 nem, propter necessitatem & utilitatem. Necessitas
 duplex est, quarum una est secundum totum corpus,
 ut scilicet ipsa à melancholica superfluitate emun-
 det. Altera secundum splenem ut ipsum nutriat. Utili-
 tas uero eius inde est, quod ipsa ad orificium stomachi
 profluens exprimat humiditates ibidem inuentas,
 sicut mulier mulgendo exprimit digitis suis lac ab ubi-
 beribus uaccæ. Et hæc utilitas, duobus contingit mo-
 dis. Primo enim constringit, inspissat & confortat o-
 rificium stomachi: deinde in ore stomachi, acrimonia
 sua commotionem facit, & excitat dysycerium ac
 famem.

Melan-

Melancholia uerò innaturalis, est quasi res adu-
sta siue cinis, respectu aliorum humorum. Eius 4. sunt
species notæ, licet plures sint obscuræ. Prima est ci-
nis cholera, & est illud quod de cholera aduritur, &
hæc amara est. Secunda est cinis phlegmatis, & est
illud quod fuit adustum ex phlegmate, & si phle-
gma adustum fuerit, ualde tenue & aquosum, tum
melancholia, ex eo genita, erit falsa in sapore. Si au-
tem fuerit phlegma crassum quod aduritur, tum cinis
eius, siue melancholia inderata, tendit ad acetosita-
tem uel ponticitatem. Tertia est cinis sanguinis, &
est illud quod adustum est ex sanguine. Et hæc melan-
cholia falsa est, nonnihil dulcedinis participans.
Quarta est cinis melancholice naturalis, & si natu-
ralis unde fit tenuis fuerit, tum admodum acetosa est,
terramq; si super effusa sit, attollit, ac fermentat, bul-
lasq; quales feruentibus iusculis innatant, excitat. O-
dor eius acris est, quem fugiunt muscæ & reliqua a-
nimalia. Si uerò melancholia naturalis ex qua gene-
ratur, fuerit crassa, minoris erit acetositatis, cum pau-
ca ponticitate.

DE TEMPERATURA SIVE

Complexione sanguinea.

CAPVT XC.

Natura pingues isti sunt atq; iocan-
tes,

Semper rumores cupiunt audire fre-
quentes,

DE CONSERVANDA



Hos Venus, & Bacchus delectant, fercula
rifus,

Et facit hos hilares, & dulcia uerba lo-
quentes.

Omnibus ij studijs habiles sunt, & ma-
gis apti.

Qualibet ex caussa non hos facile exci-
tat ira.

Largus, amans, hilaris, ridens, rubeiq;
coloris,

Cantans, carnosus, satis audax, atq; be-
nignus.

Sanguinei

Enumerantur hoc loco signa complexionis san-
guineae, quorum primum est, Sanguineum, natura es-
se pinguem, id quod de pinguedine in propria acce-
ptione intelligendum non est, haec enim semper frigidi-
tatem complexionis significat, ut testatur Auic. 2. 1.

Doct. 3. cap. 3. Sed de pinguedine ad multam corpu-
lenciam siue carnis abundantiam extensa, quia auto-
re Auic.

re Auicen. loco citato, multitudo carnis rubræ cum decenti firmitate & non laxitate eius, significat complexionem calidam & humidam, qualis est sanguinea. Quia multitudo carnis rubræ attestatur super fortitudine uirtutis adsimilatiuæ, & multitudine sanguinis, quæ uigent & inualescunt calido & humido, teste Gale. lib. 2. temperament. Corpulentia, inquit, siue carnis abundantia ex sanguinis copia nascitur, quum enim calori, intra debitos finis manenti, boni sanguinis accedit copia, necesse est ut corpulentia sequatur. Auicenna item loco citato, sic scribit: Corpus carnosum absq; multo adipe & pinguedine, est calidum & humidum, id est, sanguineum. Idem habet Galen. in arte medicinali cap. 59. Calidior autem & humidior temperatura &c. Secundum, est sanguineum esse uel iocosum, ut qui loquendo alijs risum excitet, uel letum ex benignitate humoris sanguinei, prouocantis lætitiã ac iocunditatem, propter spiritus claros & perfectos, quos hic sanguis parit. Tertium est, sanguineos delectari fabulis iocosis, idq; eadem ratione. Quartum est, sanguineos esse pronos ad libidinem, ratione caliditatis & humiditatis, ad coitum incitatiuum. Quintum est, sanguineos libenter indulgere uini potionibus. Sextum est, eosdem libenter uesci cibis bonis. Quorum duorum eadem causa est, quia similia similibus conseruantur. Septimum est, sanguineos facile ridere. Sanguis enim risum prouocat.

DE CONSERVANDA

Vnde Hippoc. in lib. de præparatione hominis. Quibus inquit, concessum est puriore sanguine frui, frequenter ij ridem, & florida facie apparent omnes colore uenusto. Octauum est sanguineos esse hilares, & facie amabiles, & iocundos, propter uuidum & floridum colorem, & uenustatem complexionis ex sanguine. Nonum est, ex sanguineorum ore dulcia profluere uerba, eo quòd natura sanguine deletur. Decimum est, sanguineos esse ingeniosos, id est, habiles & aptos omnibus artib. discendis, idq; ob ingenij uigorem & insitam ex sanguine uim, siue docilitatem. Vnde decimum est, sanguineos non facile ira commoueri, propter humiditatem qua seruor cholerae ad iram excitantis, reprimitur.

Duobus postremis uersibus repetuntur quedam signa dicta, & adduntur nonnulla alia. Primum est, sanguineos esse largos, id est, liberales, non auaros. Secundum est, sanguineos amorib. operam dare. Tertium est, sanguineos esse hilares, id est, nutu uenustos & iocundos. Quartum est, sanguineos quasi semper ridere, quorum omnium causa est benignitas sanguinis. Quintum est, eos esse rubicundos. Vnde Auic. loco citato. Color inquit rubens, significat multitudinem sanguinis, id quod intelligendum de colore rubro, cum quodam splendore, & non de rubeo fusco, qualis apparet in facie eorum, qui libenter & abunde uina fortia bibunt, & utuntur salis atq; acutis speciebus. Hæc enim facies lepram præfagit.

presagit. Sextum est, sanguineos ob animi letiti-
am, cum delectare tum delectari canu. Septimum
est, esse corpulentos & carne abundare, cuius ratio
suprà reddita est Octauum est, esse audaces ob ca-
liditatem sanguinis quæ est causa audacie. Nonū
est, sanguineos esse benignos ac clementes, ob sangui-
nei humoris benignitatem.

DE TEMPERATURA SIVE
Complexione Cholericæ.
CAPVT XCI.



EST

DE CONSERVANDA

Est humor cholerae, qui competit im-
petuosus,

Hoc genus est hominum, cupiens praer-
cellere cunctos.

Hi leuiter discunt, multum comedunt, ci-
ro crescunt.

Inde & magnanimi sunt, largi, summa
petentes.

Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, au-
dax,

Astutus, gracilis, ficus, croceiq; colo-
ris.

Haec adsignantur signa, quaedam & notae com-
plexionis cholericæ. Prima est, cholericum esse im-
petuosum, id est, facere cuncta cum impetu, quia su-
perfluus calor in cholericis impetum excitat, unde
Alicen. 2. 1. Doct. 3. cap. 3. Operationes excessiui mo-
tus significant caliditatem. Secunda est, Choleri-
cum esse ambitiosum & honoris cupidum, primatq;
expetere sedes, ac conari praefere sese omnibus. Ras-
tio, quia superfluus calor incitat animum ad arro-
gantiam & temeritatem. Tertia est, cholericum ci-
to discere, & celeris esse ingenij, & hoc propter ter-
nuitatem & caliditatem humoris cholericis. Vnde Aui-
cenna ibidem. Intellectus, inquit, id est, promptitudo
& uis intelligendi, significat caliditatem complexio-
nis. Quarta est, cholericos esse edaces & multiuo-
ros, for-

ros, fortior enim calor ipsis inest digerens, & maior
 resolutio, quàm alijs corporibus. Quinta est, chole-
 ricos citò adulescere, id est peruenire ad augmentũ,
 idq; ob fortitudinem caloris naturalis, qui est causa
 augmenti. Sexta est, cholericos esse magnanimos,
 id est, non posse tollerare iniurias, propter calidita-
 tem, unde idem Auicenna eodem loco: Parum pati
 ab unaquaq; re significat caliditatem. Septima est,
 eosdem esse largos, & hoc in illos unde honores con-
 sequi sperant. Octaua est, cholericos appetere sum-
 ma, id est, summas dignitates & officia, propter
 causam secundæ notæ. Nona est, cholericos esse hir-
 sutos, id est, pilosos. Rationem reddit Gal. lib. 2. de
 tempera. Calida, inquit, & sicca intemperies hirsuta
 est, uerũ in summo. Quippe per omnem cutem di-
 geritur semper aliquid à calido, quod secum etiam in-
 terni humoris nonnihil aufert ad cutem, unde pili ge-
 nerantur. Decima est, cholericum esse fallacem, id
 est, deceptorem. Undecima est, cholericos esse ira-
 cundos, id est, faciliè irasci ob caliditatem, & hoc
 ob facilem commotionem cholerae & ebullitionem
 sanguinis circa cor. Duodecima est, cholericum
 esse prodigum in exhibendis scilicet muneribus pro
 honore consequendo. Decimatertia est, choleri-
 cos esse audaces, idq; ob nimiam caliditatem, & ma-
 ximè cordis. Decimaquarta est, eosdem esse astu-
 tos, & hoc propter caliditatē & agilitatē cholerae.
 Decimaquinta est, cholericos esse graciles, id
 est, macis

DE CONSERVANDA

est, macilentos, & raris corpulentia, ob caliditatem
niam, & uehementer resoluentem. Decima-
sexta est, eosdem esse siccos, id est, macros, eadem
ratione. Decima septima est, cholericos esse
coloris crocci, id est, citrini. Hinc Auicenna lo-
co citato: Color subrufus significat cholerae domi-
nium.

DE TEMPERATURA SIVE

Complexione Phlegmatica.

CAPVT XCII.



Phlegma dabit uires modicas, latos-
q̄ breuesq̄.

Phlegma facit pinguis, sanguis reddit
mediocres.

Oria non studio tradunt, sed corpora
somnia,

Sensus hebes, tardus motus, pigritia,
somnia, Hic

Hic somnolentus, pigris, in sputamine
multus,

Est huic sensus hebes, pinguis, facie co-
lor albus.

Recensentur hoc loco signa complexionis pleg-
maticæ. Primum est, paucitas uirium, phlegmatici
enim segnes sunt, & paucas uires habent, ob debilita-
tem caloris naturalis, unde quælibet uirtus siue fa-
cultas exordium habet. Secundum est, phlegmati-
cos esse latos & breuis, inest enim eis parum calo-
ris innati, nec sufficit corpus in longum extendere.
Extendit igitur secundum latum. Tertium est, phle-
gmaticos esse pinguis, propter frigiditatem & hu-
miditatem. Vnde dicit Auic. loco aliquoties iam ci-
tato. Pinguedo uel adeps superflua significat exces-
sum frigiditatis & humiditatis, & complexionem
corporis frigidam & humidam, quia quod in sangui-
ne pingue, leue, & tenue est, utriusq; materia est.
Cumq; id uenæ extra se transmiserint, ubi in frigidas
particulas incidit, in ijs concrefcit, & in adipem siue
pinguedinem conuertitur, inquit, Gal. lib. 2. de tem-
pera. Sequitur deinde apud eundem, sanguineos esse
mediocres in longitudine & breuitate. Quartum
est. Phlegmaticos magis ad ocia quàm studia inclina-
ri, nimirum instrumentis ueluti torpentiibus ob frigi-
ditatem, autore Gal. lib. 3. de Symp. causis. Quina-
tum est, eosdem multum dormire, & hoc propter
multam humiditatem & frigiditatem, ut inruis
Auicem.

DE CONSERVANDA

Auic. loco citato. Sextum est, Phlegmaticos esse tardi & hebetis ingenij. Quemadmodum enim intelligendi facilitas & ingenij uigor ex calore innato oritur, ita tarditas & hebetudo eorundem à contrario, scilicet frigido exordium suscipiunt. Septimum est, phlegmaticos esse tardi motus, & hoc propter frigiditatem, quæ facit motum tardum, sicut caliditas uelocem, ut dictum est. Octauum est, Phlegmaticos esse pigros. Nonum, Phlegmaticos esse longi somni, quorum caussa satis sunt manifestæ ex suprâ uictis.

Duo postremi uersus repetunt signa prædicta cum quibusdam alijs. Primum est phlegmaticum esse somnolentum, id est, inclinari ad nimium somnum. Secundum est, esse pigrum, id est, tardum ad quamlibet operationem. Tertium est, esse multi sputi, propter humiditatem abundantem, unde sputum multiplicatur. Quartum est, eos habere obtusos sensus, tam internos quàm exteriores. Quintum est, esse pinguis. Sextum est, phlegmaticos esse albos in facie. Albedo enim cutis & maximè faciè signum est priuationis sanguinis, aut paucitatis eius cum frigiditate, ut dicit Auic. loco citato.

DE TEMPERATURA SIVE complexione Melancholica.

CAPVT XCII.

Restat adhuc tristis cholerae substantia nigrae, Quæ



Quæ reddit prauos, pertristes, pauca lo-
quentes.

Hij uigilant studijs, nec mens est dedita
somno,

Seruant propositum, sibi nil reputant fo-
re tutum.

Inuidus, & tristis, cupidus, dextræq; te-
nacis.

Non expers fraudis, timidus, luteiq; co-
loris.

*Heic referuntur signa complexionis melancholi-
cæ. Primum est, prauitas. Melancholia enim red-
dit homines prauos, & malorū morum, quales sunt
qui seipsos interficiunt. Secundum est, multa tri-
stitia, Melancholici enim naldè tristes sunt, propter
spiritus melancholicos, turbidos & tenebrosos, ut ho-
mines læti sunt ob spiritus claritatem. Tertium
est, taciturnitas. Melancholici enim sunt taciti, &*

DE CONSERVANDA

paucorum uerborum, propter frigiditatem, sicut nimia garrulitas ex caliditate prouenit. Quartum est, melancholicos esse aptos studio, propter loca solitaria, quæ amant: Studia enim, ut ille inquit, secessum quærent. Quintum est, Melancholicos esse breuis uel pauci somni, parumue dormire, propter nimiam siccitatem cerebri, & fumos melancholicos, causantes somnia terribilia, quibus facillimè expergiscuntur. Sextum est, eos seruare propositum, nec facillè dimoueri ab eo quod semel menti hæserit, difficulterq; placari, & hoc propter siccitatem, quæ non sinit propositum citò mutari. Septimum est, melancholicos putare nil sibi fore tutum, eoq; semper timere, quòd nimirum atrabilis rationalis animæ arcem occupans, timorem inducat: neq; id mirandum est, cum uideamus in rebus externis, inquit Gale. lib. 2. de simp. caus. nihil magis quàm tenebras hos perterrefacere. Si igitur quippiam tenebris simile rationali parti animæ circumfundatur; hominem semper timere necesse est, utpote, qui semper timoris causam in corpore circumferant. Quod enim nobis extrinsecus accidit, cum ambiens nos aër uastissimis tenebris fuerit obscuratus, id melancholicis ab intimo corpore erumpere uidetur, occupante cerebrum & ipsamet atrabile, uel uapore quopiam melancholico.

Duobus postremis uersibus repetuntur quædam ex prædictis, & adduntur nonnulla alia. Primum est, Melancholicum esse inuidum. Secundum, tristem.

Primum, frivolum. Secundum, avarum. Quartum, tenacem. Quintum, fraudulentum. Sextum, valde timidum. Septimum, lutei, terrestris, siue fuscii coloris, color enim fuscus qui iuriditati adpropinquat, melancholice ostendit dominium. Rhazes 2. ad Mansorem capite primo.

DE COLORIBVS.
CAPVT XCIII.



HI sunt humores, qui præstant cuique colores,
 Omnibus in rebus ex phlegmate fit color albus:
 Sanguine fit rubeus, cholera rubea quoque rufus:

Q 2

DE CONSERVANDA

Si peccet sanguis, facies rubet, extat ocellus.

Inflantur genæ, corpus nimiumq; grauat, uatur,

Est pulsusq; frequens, plenus, mollis, dolor ingens,

In primis frontis, fit constipatio uentris, Siccaq; lingua, sitis, sunt somnia plena rubore.

Dulcor adest sputi, sunt acria dulcia quæ que.

Enumerantur hoc loco colores, unde cuiuslibet complexionis indicia habentur. Phlegmaticus enim albi coloris est. Cholericus rufi, sanguineus rubci, & melancholicus fusci, de quibus omnibus dictum est in præcedentibus.

Secundo loco habentur signa superabundantiæ sanguinis, quorum primum est, facies rubea, propter ascensum sanguinis ad caput & faciem. Secundum, oculorum prominentia, propter extensionem quam facit sanguis multiplicatus. Tertium, genarum inflatio, ob similem causam. Quartum, totius corporis grauitas, quia natura superatur, non sufficiens regere humores, & corpus debile sustentare. Quintum, pulsus frequens, propter caliditatem, quam inducit sanguis multiplicatus. Sextum, pulsus plenus, ob multitudinem uaporum calidorum & humidorum. Septimum,

rimum, pulsus mollis, propter humiditatem nimiam, arteriam emollientem. Octauum, dolor in fronte, ob sanguinem multiplicatum in rete mirabili. Nonum, uentris constipatio, id est, induratio propter caliditatem nimiam exiccantem feces. Decimum, lingua sicca, ob similem causam. Vndecimum, sitis magna, propter exiccationem orificij stomachi ex nimia caliditate. Duodecimum, somnia de rebus rubicundis, unde Auicenna 2. 1. Doctr. 3. cap. 7. Et somnia, inquit, quæ illud significant, scilicet abundantiam sanguinis, sunt, sicut cum homo in somnis res uidet rubeas, aut sanguinem multum ex suo corpore exire, aut se in sanguinem natare, & similia. Decimum tertium, dulcedo sputi, propter sanguinis dulcedinem.

Signa uerò superabundantis cholerae, hisce comprehenduntur uersiculis:

Accusat cholera dextrae dolor, aspera lingua,
Tinnitus, uomitusq; frequens, uigilantia multa.
Multa sitis, pinguisq; egestio, torsio uentris,
Nausea fit, morsus cordis, languescit orexis.
Pulsus adest gracilis, durus, ueloxq; calescens,
Aret, amarescitq; incendia somnia fingit.

Signa superabundantis phlegmatis habentur ex hisce uersiculis.

Phlegma supergrediens proprias in corpore leges.

Os facti inspidum, fastidia crebra, saliuas.

DE CONSERVANDA

Castorum, stomachi simul occipitisq; dolores,
Pulsus adest rarus, tardus, mollis, quoq; inanis.
Præcedit fallax phantasmata somnus aquosa.

Signa superabundantis melancholice,
comprehenduntur hisce uero
siculis.

Humorum pleno dum fœx in corpore regnat,
Nigra cutis, durus pulsus, tenuisq; urina.
Sollicitudo, timor, tristitia, somnia, tempus,
Crescet rugitus, sapor et sputaminis idem,
Leuâq; præcipue tinnit uel sibilat aëris.

DE PHLEBOTOMIA, ET PRIMO
de ætate secunde uene.
CAPVT XCV.



Denus septenus uix phlebotomum
petit annus,
Spiritus uberiorq; exit per phlebotomi-
am. Spirite

Spiritus ex potu uini mox multiplicatur.

Humorumq; cibo damnum lentè reparatur.

Lumina clarificat, syncerat phlebotomia

Mentes & cerebrum, calidas facit esse medullas.

Viscera purgabit, stomachum uentremq; coërcet,

Puros dat sensus, dat somnum, tædia tollit.

Auditus, uocem, uires, producit & au-

Hic agitur de Phlebotomia, & primò ostenditur *Actas*
etas apta Phlebotomiae, annus nimirum 17. Gal. lib. *phlebotos*
 1. cap. 14. therap. Method. si in puerum, inquit, *mandi,*
 incidet, qui 14. annum haftenus non attigit, mitti
 illi sanguis non debet, propterea quòd tantillis,
 cum præsertim calidi & humidi sint, plurimum
 corporis substantiæ cottidie defluat, ac digeratur. Ita
 quòd ex incidenda uena molendum nobis fuerit, id
 ultro nobis ex curati natura præstat. Et quemad-
 modum pueris ante 14. etatis annum, sanguis haud
 detrahendus, Ita nec senibus post septuagesimū, Mo-
 dò uires ijs parum ualidæ sint, & sanguine non ad
 modum abundant. In his enim, inquit Aui. 4. 1. ca. 20. *Phlebotos*
 cum parum sit sanguinis boni, & multi mali humo- *mia noci-*
 res, Phlebotomia rapit bonum, & relinquit malos. *ua.*

DE CONSERVANDA

Secundo loco, indicatur noxa ex Phlebotomia. Quòd scilicet ex multa sanguinis euacuatione, uberior exeat spiritus. Vnde Gal. in lib. de scarificatione sic scriptum reliquit:

Per annum uenam sepius incidere haud expedire arbitror, quippe cum una cum sanguine uitalis excernatur spiritus. Atq; si hic copiosius absumatur, fit ut tota moles reddatur frigidior, operaq; naturalia deterius perficiantur.

Remedia. Tertio referuntur remedia, quibus spiritus recuperant, Potus nimirum uini, quia ex omnibus subito nutrientibus præcipuum est unum, ut dictum est supra. Regenerantur etiam & recuperantur ex cibo,

Cibus. sed leuè, id est, tardius. Exhibendus autem cibus digestibilis, & qui multum sanguinis generet, uelut oua sorbilia, & huiusmodi. Et licet cibus spiritus regeneret post Phlebotomiam, abstinendum tamen à multo cibo in primo & secundo die sectionis uenas, teste Rhaze lib. 7. cap. 21. ad Mansorem. Vnde Isaac in dietis. Cibus inquit, est eis minuendus, & potus augendus, respectu scilicet cibi, & non consuetudinis, imò minus eis bibendum quàm ante phlebotomiam, quia uirtus digestiua debilior est.

Commoda Quarto enumerantur ii. commoda tempestius phlebotomiæ. Primum est, temperatam phlebotomiam clarificare & confortare uisum, quia diminutis humoribus diminuuntur et effumationes ad caput, & repletiones uisum obsuscantes. Secundum est,
phle-

phlebotomiam, mentem ac cerebrum synceriora red-
dere, & hoc ob consimilem causam. Tertium est,
calfacere medullam, quia minuit superfluitates quæ
ad eam uenientes, ipsam frigidant. Quartum est,
purgare uiscera, id est, interiora, quia exonerata na-
tura à sanguine, humores crudos in interioribus con-
tentos, melius digerit. Quintum est, phlebotomi-
am restringere uomitum & fluxum uentris, diuer-
tit enim humores ab interioribus ad exteriora. Vnde
Auicenn. loco citato. Phlebotomia, inquit, propterea,
quòd ad diuersa trahit, naturam secundum pluri-
mum retinet. Et hoc maximè uerum est, facta phle-
botomia ex uenis brachij. Nam phlebotomia ex uenis
pedum, non ita retinet. Attamen per accidens contin-
gere nonnunquam solet, ut post phlebotomiam sequa-
tur maior fluxus uentris. Idq; dupliciter. Primo, quia
per phlebotomiam tollitur onus nature, unde uirtus
confortata prouocat aliquando & alias euacuationes.
Secundo, si fluxus uentris fiat ex multa debilitate uir-
tutis retentiue, per phlebotomiam uirtus magis debi-
lilitatur, & per consequens fluxus uentris augetur.
Sextum est, phlebotomiam sensus reddere puros,
quia minuit euaporationem ad caput, unde turbantur
sensus. Septimum est, phlebotomiam facere ad
somnum impeditum, quia per ipsam euacuantur hu-
mores plurimi, unde eleuati uapores acuti & diuersi
impediabant somnum. Octauum est, phlebotomi-
am tollere tedia & grauitates nimias, quia per ip-
sam uirtus

DE CONSERVANDA

San uirtus exoneratur à suo grauamine. Eductio-
tem per ipsam sanguine, educitur simul & melancho-
lia, fex sanguinis & caussa tedium ac grauita-
tum. Nonum est, phlebotomiam conferre auditui,
quia per ipsam imminuuntur uapores & humores
ascendentes ad caput, & impediens auditum. De-
cimum est, phlebotomiam conferre uoci, per ipsam
enim imminuuntur superfluitates & humiditates,
pertingentes ad pectus siue cannam pulmonis, &
impediens uocem. Undecimum est, Phlebotomia
am augere uires, quia per ipsam corpus à suo graua-
mine exoneratur, quare uirtus augetur.

DE MENSIBVS, Q VIBVS

Phlebotomia conuenit, siue nocet,

CAPVT XCVI.

TRes insunt istis, Maius, September
Aprilis,

Et sunt Lunares, sunt uelut hydra
dies.

Prima dies primi, postremaq; posterio-
rum,

Nec sanguis minui, nec carnibus anseris
uti.

Sit senium atq; iuuenta licet, si sanguis
abundat.

Omni mense probè confert incisio uenę.

Hi

Hi sunt tres menses, Maius, September,
 Aprilis,
 In quibus eminuas, ut longo tempore ui-
 uas.

Hoc loco tria aguntur. Primò, dicitur tres men-
 ses, Maium scilicet, Septembrem & Aprilem, esse Lu-
 nares, inq; ijs dies esse, quibus phlebotomia prohibe-
 tur. Primam scilicet Maij, & ultimam Septembris et
 Aprilis. Et uulgo ita quidem fertur, cum reuera fictū
 sit, ac prorsus à ueritate alienum, Siquidem & hisce
 diebus, modò constellatio bona sit, uenam secare nis-
 hil impedit.

Falsum est, & quod sequitur de anserum esu, ac
 erroncum, magisq; sortilegio adscribendum, uel tra-
 ctum sorte à Iudeorum consuetudine. Secundo di-
 citur, tam in senio, quàm iuuenta, singulis mensibus,
 modò uene sanguine abundant, Phlebotomiam adhi-
 beri posse, ut in quibus substantia non faciliè destuat,
 & boni sanguinis adsit copia. Tertio dicitur, inci-
 sionem uenæ pro sanitate tuenda adhibendā esse, in a-
 liquo horum trium mensium, Maio scilicet, Septem-
 bri, & Aprili, differenter tamen, quia in Aprili &
 Maio incidenda est uena epatis, ob sanguinis multi-
 plicationem, cum sit tempus uernale. In septembri ue-
 rò, uena splenis, propter melancholiā, quæ per id tem-
 pus multiplicatur, cum sit autumnale.

DE IMPEDIMENTIS PHLE-
 botomie. CAP. XCVII. Fria

DE CONSERVANDA

F Rigida natura, & frigens regio, dolor ingens,
 Balnea, post coitum, minor ætas, atq; senilis,
 Morbus prolixus, repletio potus & escæ.
 Si fragilis, uel subtilis, sensus stomachi sit.
 Et fastiditi tibi non sunt Phlebotomandi.

Recensentur hoc loco 12. Phlebotomiæ impedimenta. Primum est, frigiditas complexionis. Hac enim Gal. teste, phlebotomia augetur, quia secundum Isaac in lib. de urinis, sanguis fundamentum est caloris naturalis, quo per phlebotomiam euacuato, necesse est & calorem naturalem imminui, corporisq; temperaturam frigidiorē reddi. Secundum, regio impense frigida. Hæc enim phlebotomiam non sustinet. Eadem ratione & tempus hybernum uenæ secandæ idoneum non est, siquidem in profunditate sanguis inclusus detinetur, & qui circa extremitates est, à frigore condensatur, adeò ut fluxioni ineptus fiat. Tertium, dolor ingens, sub quo & nimia corporis inflammatio comprehendī potest. In quibus si fieret phlebotomia, sequeretur motus agitatius nature contrarius, cum sit difformis, & maior inflammatio, quæ & ipsa naturam magis debilitat. Causa motus

tus

tus agitatiui in dolore intenso est, quia fit tractio ad
 diuersas parteis. Per phlebotomiam enim fit tractio
 ad locum uenæ incisæ, & ex dolore forti fieret tra-
 ctio ad locum doloris. Causa uerò maioris inflamma-
 tionis est, quia ex phlebotomia commouentur humo-
 res, unde etiam magis ex motu inflammatur. Et hoc
 uerum est si phlebotomia fuerit temperata & artifi-
 cialis. Si tamen fiat usq; ad syncopen, prodest in præ-
 dictis casibus, hæc enim cum uincat attractionem do-
 loris, non facit motum agitatituum, & similiter tollit
 inflammationem, cum non adsint humores, qui com-
 moueantur, calescant, & maiorem inflammationem
 inducant. Et hæc est intentio Galeni com. 23. lib. A-
 phorif. Vbi sic scriptum reliquit: In ardentissimis fe-
 bribus si usq; ad animi defectionem sanguis mittatur,
 statim totius corporis habitus refrigeratur & febris
 extinguitur. In maximis uerò doloribus nullum ma-
 ius noui remedium, quàm usq; ad animi defectionem e-
 uacuare. Quartum, balneum, & præcipuè resolu- **Balneum,**
 tiuum, quod & ipsum euacuat, unde phlebotomiam
 impedit. Nam plurimum & repente euacuare peri-
 culosum est, teste Hippocrate, lib. 2. Aphor. 51. Hinc
 Rhazes 7. ad Mansorem cap. 21. Minutus inquit,
 nullo modo balneum ingrediatur, & præcipuè si lo-
 cus fuerit ignitus, donec uulnus consolidetur, & ca-
 lor atq; apostemata ipsius sedentur. Quintum, coitus. **Coitus.**
 Post hunc enim prohibetur incisio uenæ, sic etiam
 maxima debilitatio naturæ sequeretur, quippe cum
 per coitum

DE CONSERVANDA

Aetas.

per coitum corpus iam dudum fortiter calfactum, dissolutum, & debilitatum sit. Sextum, etas, uel maior, uel minor quam requiritur ad phlebotomiam, qualis est etas infantiae, & senij, ut dictum est supra. Horum impedimentorum meminit & Auic. loco supra citato. Tibi quoq; inquit, cauere debes à minutione in complexione uehementis frigiditatis, & in regionibus fortis frigiditatis, & in hora fortis doloris, & post balneum resolutiuum, & post coitum, & in etate, quæ est minor 12. annis, & in etate senum, quanto magis potens, nisi in figura confusus fueris & in soliditate musculorum & uenarum amplitudine, & earum repletionem, & coloris rubedine. Hos namq; ex adolescentibus & senibus phlebotomare audebis. Adolescentes tamē, secundum ordinem ad phlebotomandum paulatim prouehere debes, cum pauca minutione. Septimum, morbus prolixus. Hinc etenim natura dupliciter debilitatur, à morbo uidelicet, & à minutione. Auicenna ibidem. In corpore inquit, quæ prolixas perpeſsa sunt ægritudines, cauet tibi à phlebotomia, nisi sanguinis fuerit corruptio, quoniam tūc phlebotomabis ea. Octauum,

Repletio.

nimia repletio potus. Nonum, nimia repletio cibi, sub qua & indigestio cibi comprehenditur. Causa horum omnium est, quia secundum Auicem. attrahentia sunt tria, uacuum scilicet, calidū, et tota species. Si ergo uenæ per phlebotomiā à sanguine euacuarentur, solum indigestum, uel superfluum, siue potum superfluum,

fluum, à stomacho, uel epate attraherent, qui indige-
 stus ad membra ueniens, non corrigeretur, quia ter-
 tia digestio, non corrigit peccatum secundæ, nec se-
 cunda primæ, si peccatum sit magnum, unde in mem-
 bra non conuerteretur, sed ibi remanens, pareret æ-
 gritudines. Decimum fragilitas, id est, debilitas **Debilitas**
 uirtutis, Phlebotomia enim est fortis euacuatio, quam
 uirtus debilis pati non potest. Undecimum, subti- **Sensus**
 lis sensus orificij stomachi, quem statim à phleboto-
 mia syncope sequitur. Sub hoc comprehenditur &
 debilitas stomachi, & facilis fluxus cholerae ad orifici-
 um eius, inducens ad uomitum facilem cholerae. Vnde
 de habentibus prædicta accidentia non conuenit phle-
 botomia. Per phlebotomiam enim humores commoti
 ad os stomachi impellerentur, ceu ad locum consue-
 tum, & cum sit membrum debile, & impar ad resisten-
 dum illi fluxui, multa illic mala per phlebotomiam ac-
 cidunt. Et hæc est una causa cur nonnulli ex phlebo-
 tomia in syncopen incidant. Cholera enim ad stoma-
 chum fluens, et mordicans stomachum, ex compassione
 stomachi et cordis, syncopem adfert. Duodecimum **Fastidium**
 fastidium, si enim in fastidio fieret phlebotomia, uene
 euacuata materiam malam & fastidij ad se attraherent.
 Et hæc omnia habentur apud Auic. loco citato:

Quibus adduntur et alia quedam, quorum primum **Mensura**
 est fluxus menstruorum, siue hæmorrhoidum, qui impe-
 dit phlebotomiam, & hoc quantum ad euacuatio-
 nem attinet, licet ad diuertendum fluxum, sed mate-

DE CONSERVANDA

Raritas. riam posset fieri. Secundum, est corporis, siue compositionis raritas, quia à corporibus raris multum dissoluitur, quibus sufficit illa resolutio, nec euacuacione indigent, ut testat. Gal. lib 9. cap. 17. Thera.

Cruditās. Methodi. Tertium est humorū cruditās & uiscositās, in quibus cauendum est à phlebotomia, augeretur enim cruditās humorum, unde morbis longis non est adhibenda phlebotomia, quia cruditās humorum aueretur, & uirtus debilitaretur, & morbus produceretur, timendumq; foret de casu uirtutis. Quare præcipit Auicē. ut in morbis chronicis fiat phar-
matia ante phlebotomiam, & non phlebotomia ante phar-
maciam, licet utraq; opus habeant ægri. Sed cruditās humorum potest accidere duabus de causis, Vel propter abundantiam humorum, calorem naturalem suffocantium, qui debilitatus ac suffocatus, humores crudos generat, & tum bene competit phlebotomia, unde (secundum Alexandrum li. 3. ca. 29.) phlebotomia hyposarcæ conuenit, ubi prouenerit ex multitudine sanguinis menstrui, cū prohibeantur fluere menstrua ob aliquam causam: aut ex multitudine sanguinis hæmorrhoidum. Nam quemadmodū uidere est ignem utridibus & humidis sublignis periclitari & extinguī, sublatisq; è medio his, denuo accendi. Ita & consimili de causa, calore innato sub humorum multitudine suffocato, sanguinem auferre expedit, ut calor recuperetur. Vel propter caloris innati debilitatem, ut in hominibus debilis complexio
nis,

nis, & à longo morbo conualescentibus, & scribis, quibus non competit phlebotomia. Sanguine enim in quo calor conseruatur, extracto & corpore refrigerato, humorum cruditas augetur. Conseruandus ergo sanguis, ut humorum cruditatem digerat. Quartum est, aëris indebita dispositio, & nimia caliditas, aut nimia frigiditas, quia per caliditatem nimiam, fortis fit resolutio, & per frigiditatem humores ad fluxum ineptissimi fiunt.

Aër.

QVAE OBSERVANDA CIRCA
Phlebotomiam. CAP. XCVIII.

HAec facienda tibi quando uis phlebotomari,
Vel quando minuis, fueris uel quando minutus.
Vnctio, siue lauacrum, & potus, fascia, motus,
Debent non fragili tibi singula mente teneri.

Hoc loco docetur quinque esse obseruanda circa phlebotomiam, aliqua quidem ante phlebotomiam, nonnulla in ipsa phlebotomia, quaedam uero post phlebotomiam. Primum itaque est unctio, quae aliquando adhibetur in phlebotomia, uelut unctio phlebotomi, ut dolor leniatur, Aliquando uero post phlebotomiam, ut consolidatio uulneris retardetur, quo post

Vnctio.

DE CONSERVANDA

phlebotomiam humores in uenis relictis aliquam habent
respirationem, & fumi mali exhalent.

Potus. Secundum est potus, & præcipue uini, quod ualet
& in ipsa phlebotomia, si syncope accidat, & post
phlebotomiam pro regeneratione nouorum spirituum,
& noui sanguinis.

Lauacrū. Tertium est lauacrum, id est, balneum, quod ualet
per duos uel tres dies ante, & per duos uel tres
dies post phlebotomiam, & non eodem die. Antè
quidem, ut si quis timeat se habere humores crassos,
hos enim balneum dissoluit, & commouet, & ob ean-
dem causam etiam confert, si antè sumatur parum
syrupi acetosi, & fiat motus, ut humores dissoluan-
tur & extenuentur: unde etiam tempore phleboto-
miæ, fricandum est brachium, ut humores existentes
in uenis brachio propinquis, extenuentur, & ad exi-
tum præparentur. Post phlebotomiam uero ualet, ut
reliquæ humorum & uaporum resoluantur. In ipso
die phlebotomiæ non conuenit, quia per balneum cus-
tis lenis redditur: unde percussione factam in phle-
botomia fugit, & hoc est periculosum.

Fascia. Quartum est fascia, id est, ligatura cum pannis li-
neis, quæ immediatè post phlebotomiã ualet ad repri-
mendum fluxum, & ante phlebotomiam, & ut pro-
pellantur humores ad locum phlebotomiæ, & ut inde
uena incrassata melius uideatur.

Motus. Quintum est motus, siue inambulatio temperata,
quæ potest fieri antè, ut humores dissoluantur & exo-

tena-

inuenitur, & post, ut resoluantur reliquie humorum ex phlebotomia relictæ. Vulgo cōsuetudo inualuit, ut uena ieiuno & uacuo stomacho incidatur: Sed tamen Doctoribus quibusdam conducibilius uidetur, ut antè phlebotomiam administraretur ouum molle siue sorbibile cum haustu uini, idq; circa horam nonam, uel decimam ante prandium, & confestim deinde uena secetur. Stomacho enim existente uacuo, natura fortissimè sanguinem retinet, ne deficiat in nutrimento. Sed cum cibus plurimum nutriens est in stomacho, cuiusmodi sunt oua sorbilia, & uinum, tum natura facilius sanguinem exire patitur.

DE EFFECTIBVS Q. VIBVS-
dam Phlebotomiæ. Cap. XCIX.

EXhilarat tristes, iratos placat, amantes

Ne sint dementes, phlebotomia facit.

Heic referuntur tres effectus phlebotomiæ. Primus est, phlebotomiam exhilarare, id est, hilares ac *Hilaritas.* letos reddere homines contristatos. Secundus est, phlebotomiam placare & reconciliare iratos, *Mansuetudo.* quorum utriusq; causa est, quòd in sanguine, quando multa commisceatur melancholia, fiat tristitia, & quando multa cholera, ira, cum melancholia sit causa tristitiæ, & cholera iræ. Sed uterq; horum humorum educitur cum sanguine propter commixtionem.

DE CONSERVANDA

Castitas.

Tertius est, prohibere amantes, ne insaniant. Expellit enim & diuertit humores à capite ad partes exteriores. Quinq; porrò caussa habentur, propter quas fiat phlebotomia. Prima directa est, reliquæ uerò indirectæ. Directa quidem ut abundantia sanguinis euacuetur, siue abundet in qualitate, siue in quantitate, siue in utraq;.

Nam duo genera hominum, A uic. teste, phlebotomia indigent, quorum unum est eorum hominum, qui iam parati sunt incidere in ægri tudines, ut qui habeant abundantiam sanguinis in quantitate. Alterum uerò illorum qui iam in ægri tudinem inciderūt, propter humorum, siue sanguinis malitiam. Sed differt horum phlebotomia: ob sanguinis enim abundantiam phlebotomiam multam esse conuenit, sed si in qualitate peccans prauus sit, competit phlebotomia pauca, unde iuxta Gal. sententiam libro nono, Thera. Metho. Si sanguis malus in corpore fuerit, euacuandus est paulatim.

Quare multum illi peccant qui uidentes sanguinem malum, eo usque de industria sanguinem auferunt, quo ad uideant sanguinem effluere bonum, cum fortè totus sanguis prius exeat, quàm bonus appareat. Debet ergo fieri pauca euacuatio, Et ut Galenus auctor est, in huiusmodi casu ante phlebotomiam exhibendus est cibus bonum sanguinem generans, ut in locum mali sanguinis bonus substituatur. Ac paulò post sequetur phlebotomia pauca. Hæc phlebotomia

botomia dicitur directa, quia fit per se, ad euacuationem illius, quod per se uena sectione euacuari debet, scilicet, ad euacuationem plenitudinis humorum, siue sanguinis. Principaliter tamen secundum quod cum eo sunt alij humores.

Prima causa indirecta, est magnitudo morbi, siue apostematis uehementis inflammationis, In apostemate enim uehementis inflammationis, in febribus & dolorib. maximis, non inuenitur maius remedium quam phlebotomia, teste Gale. comment. 23. libro primo Aphorif.

Secunda causa indirecta est, ut retrahatur materia ad partem, per quam euacuari debet. Vnde in retentione menstruorum & hæmorrhoidum, aperienda est Saphena, ut testatur Galenus in libro de curandi ratione per sanguinis missionem. Plenitudines, inquit, à suppressis mensibus ortas omnino per crura euacuabis. Idem comprobatur & Auicenna 4. 1. capite uicesimo, ut trahatur scilicet materia sanguinis de orsum.

Tertia causa indirecta est, ut humores trahantur ad locum contrarium loco, ad quem sua sponte fluunt, & hoc ut diuertatur ac reuellatur materia à loco in quem fluunt humores, unde in nimio fluxu menstruorum secunda est basilica, ut reuellatur materia ad locum contrarium, & diuertatur à suo fluxu.

Quarta causa indirecta est, ut per phlebotomiã portio una materiæ euacuetur, & natura residuum

DE CONSERVANDA

quincere valeat. Atq; ita tandem competit phlebotomia, si repletio in corpore fuerit, ne fiat apostema, natura enim respectu regiminis illorum humorum debilis est, ideo una portio illius materiae est euacuanda, ne ob imbecillitatem & impotentiam naturae, materia fluat ad locum aliquem debilem, ubi aggregata, apostema generet.

DE SCISSURAE QUANTITATE IN UENAE SECTIONE. CAPVT C.

FAc plagam largam mediocriter, ut cito sumus
Exeat uberius, liberiusque cruor.

Vnicum hic habetur praeceptum de quantitate scissurae in uenae sectione, ut scissura scilicet sit mediocriter larga, quo sumus & crassior sanguis liberius exeat. Scissura enim stricta existente, subtilis tantum sanguis exit, & remanet crassus.

Sciendum autem aliquando in phlebotomia faciendum esse uulnus magnum, aliquando uero paruum, Et magnum quidem tribus de causis, Primo quidem quando humores sunt crassi, & crassus sanguis euacuandus est, ut per uulnus magnum sanguis facilius possit exire, unde Melancholicis faciendum est magnum uulnus. Secundo, propter temporis frigiditatem, quod humores incrassat, quare Hyme faciendum est uulnus magnum. Tertio, propter abundantiam humo-

humorum, qui melius per uulnus magnum quàm paruum euacuantur. Sed uulnus paruum fit cum est uirtus debilis, ut de spiritibus & calore minus euacuetur. Et in tempore calido eadem de causa, & quando est sanguis subtilis & tenuis.

QVAE CONSIDERANDA

circa uenæ sectionem.

CAPVT CI.

Sanguine subtracto, sex horis est uigilandum,

Ne somni fumus lædat sensibile corpus.

Ne neruum lædas, non sit tibi plaga profunda,

Sanguine purgatus, ne carpas protinus etiam.

Recensentur hoc loco tria in uenæ sectione consideranda. Primum est, ne is cui uenæ secta est im- **Somnus.** mediatè post phlebotomiam dormiat, nisi ad minus sex præterierint horæ: ne sumi, qui scilicet in somno causantur, ad caput elati, cerebrum lædant. Attamen et aliæ causæ adsignari possunt, quarum prima est, ne in somno eger se uertat supra brachium in quo uenæ secta est, & ita lædatur. Secunda est, ne humores in somno ad læsum membrum fluant, in quodolor est, propter ictum phlebotomi, fiatque apostema. Nam ut Galenus Comment. 1. libro secundo Aphoris. testatur. Si in somno fiat apostema intra

DE CONSERVANDA

corpus, aut membrum lædatur, eodem confluunt & humores. Auicenna uerò aliam adsignat causam, quòd scilicet per somnum possit accidere confractio membrorum, quia somnus, ut Galenus loco citato auctor est, in principijs accessionum competit. Calor enim naturalis in profundum corporis uergit, & fortis partium exteriorum refrigeratio contingit, fumi que inconsumpti remanent, unde rigor augetur, & paroxysmus prolongatur. Eodem modo fumi ob humorum commotionem & in phlebotomia, ad neruos & lacertos eleuantur, qui si non consumantur in somno, in frigidantur & inspissantur in exterioribus, & faciunt neruorum lacertorumque confractionem, si immediatè post uenæ sectionem somno indulgeatur. Alia ratio, quia materiam inspissat, & facit confractioem, sicut in quartana, in cuius typo fit confractio ob frigiditatem & crassitiam materie. Nerui autem & lacerti sunt frigidi, quare ad ipsos ueniens fumus in somno, in quo fit retractio caloris ad interiora, in frigidatur et densatur. Fumus autem in frigidatus & densatus, frigiditatem & crassitiam inducit membro, siue confractioem, ad membrum enim consimile, consimiles properant ægritudines. Et hoc uerum est, de somno phlebotomiæ uicino, & non remoto.

Plaga. Secundum est, ut uenæ sector caueat, ne nimis profundam plagam incutiat in sectione uenæ, ita ut phlebotomo lædat neruū, uel arteriam uenæ subiacentem. Nam ex læsione nerui, spasmus, spasmus deinde acerbisi-

cerbissima mors sequitur, uel ad minus amissio mēbri, utpote brachij, siue digiti, &c. Ex lesione arteriæ sequitur fluxus sanguinis arterialis, difficilimè curabilis.

Tertium est, ne is cui uena secta est, protinus à ues- Cibus.
na sectione cibum sumat, sed expectet donec humores quiescant, nec cibum antequam digeratur ad subueniendum membro læso, cum sanguine simul attrahatur.

QVAE VITANDA SINT POST
Phlebotomiam. CAPVT CII.

OMnia de lacte uitabis ritè minus
tus,

Et uitet porum phlebotomatus ho-
mo,

Frigida uitabis, quia sunt inimica mi-
nutis;

Interdictus eritq; minutis nubilus aër.

Spiritus exultatq; minutis luce per au-
ras,

Omnibus apta quies, & motus sæpeno-
cuius.

Hic præcipitur quinq; uitanda esse ei, cui uena se- Lactici-
nia.
cta sit. Primum est, lac & lactinia, ex commotio-
ne enim humorum per phlebotomiam, sæpe fluunt hu-
mores aliqui ad stomachum. Si ergo lac sumeretur ex
commixtione illorum humorum, lac in stomacho cor-

DE CONSERVANDA

rumpetur, eò quòd per se facilimè corrumpatur, propterque dulcedinem nullo negotio indigestum ad uenas raperetur, ac ob humorum commotionem facile corrumpetur.

Potu. Secundum est, ut caueat à potu nimio, quia propter euacuationem uenarum, potus facile ad uenas indigestus raperetur, ut iam dictum est.

Frigida. Tertium est, ut uitet omnia frigida, tam intra corpus sumpta, quàm extrinsecus adhibita, cibaria nimirum frigidiora, aërem frigidum, balneum frigidum, tenuitatem uestium, sessionem supra petram, frigiditatem capitis, uel pedum, quia calore naturali per phlebotomiam debilitato, corpus facilimè nimis infrigidaretur.

Nebula. Quartum est, ne incedat, siue ambulet in aëre tenebroso, nebuloso, turbido. Hic enim contristat animam, ut dictum est supra capite decimoquarto. Tristitia enim caussa est sanguinis melancholici, sed ambulet potius in aëre claro & lucido, quia in tali spiritus uitales, naturales, & animales recreantur, mouenturq; ad exteriora, congaudentes simili.

Quies. Quintum est, ut querat temperatam quietem, & motum excessiuum uitet, quia motus excessiuus hominem maximè debilitat, & humores commouet, qui es uerò temperata motum sedat.

Quibus

QVIBVS MORBIS ET AETA-
tibus conueniat uenæ scētio, & quantum san-
guinis quoq; tempore detrahendum.

CAPVT CIII.

PRincipio minuas in acutis, perper
acutis,

Aetatis mediæ multum de sanguine tola-
le.

Sed puer atque senex tollet uterque pa-
rum,

Ver tollat duplum, reliquum tempus ti-
bi simplum.

Quatuor hic determinantur. Primum est, ue-
nam secandam esse in principio perperacutarum, id
est, maximè acutarum ægritudinum, quæ uidelicet
terminantur die quarta: Breues enim sunt, nec cons-
cedunt inducias, & ob id statim à principio curan-
dæ sunt.

Secundum est, ut in ætate mediâ, ab anno nimi-
rum 30. usque ad annum 45. uel 50. amplius de sangui-
ne extrahatur, quàm in aliqua aliarum ætatum, quia
in hac ætate maximè augetur & crescit sanguis, ne-
que eius subtractio impedit augmentum, neque di-
minuit uirtutem corporis, quod in ea ætate non au-
getur, neque diminuitur sensibiliter, sed stare ueluti
uidetur.

Tertium est, senibus & pueris parum sanguinis
detra-

DE CONSERVANDA

destrahendum, quia in pueris sanguis multus ad nutritionem & augmentationem requiritur. In senibus uerò uirtus iam incipit debilitari.

Ver. Quartum est, ut in Vere dupla sanguinis quantitas per phlebotomiam detrahatur, respectu habito ad alia tempora. Vere enim maximè crescere sanguinem apud omnes autores medicinae in confesso est.

Porrò, quod ad primum attinet, regulæ quædam circa phlebotomiam obseruandæ sunt. Quarum

Prima est, ut in principio morbi non fiat Phlebotomia. Medicus enim, teste Gal. capite 87. artis medicinalis, est minister nature. Omnium inquit, natura opifex est, Medicus autem minister. Et in Comment. uicesimo secundo, libro quarto Aphor. Quando, inquit, aliquis incipit morbus, nihil tunc excernitur, nature ratione. Sicuti ergo natura in principio morbi non euacuat, ita nec Medicus. Hoc tamen in tribus casibus habet instantiam. Primò in materie furiositate, id est, si materia turgeat, unde Auicenna 4. 1. ca. 20. In principio morbi phlebotomia penitus dimittatur, quia humores commouet, & subtiliat, & eos per corpus fluere facit, ac sano sanguini admiscet, nisi materia sit furiosa, id est, turgeat. Secundo, in materie multitudinæ. Hinc Galenus Comment. 29. lib. 2. Aphor. testatur phlebotomiam, siue purgationem oportere fieri circa principia, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere. Tertio, in morbi magnitudine & uehementia, ut in aposte-

apostemate magno, & doloroso, licet non sit multa materia, scilicet antecedens in corpore, Vnde Galen. libro 13. Therap. Methodi, sic inquit: Si apostema fuerit magnum, uena principio secetur, licet non sit materiae multitudo, ne crepet, aut aperiatur apostema antequam maturetur. Quare ut magna Symptomata euidentur adhibenda est sectio.

Secunda regula est, ne fiat phlebotomia in die motus ægritudinis, ueluti in crisi, in qua neque phlebotomia, nec aliqua alia euacuatio fieri debet, ne materia à loco ad quem natura ipsam pellit, diuertatur. Similiter nec in paroxysmo. Recteque Galenus præcipit Comment. uicesimo nono, lib. 2. Aphor. ut morbo iam consistente, neque uenæ sectio, neque purgatio adhibeatur, quòd coctiones tunc maximè fiant, quæ melius in quiete quàm motu perficiuntur. Ceterum sicut se habet status ad integrum morbum, ita & Paroxysmus respectu dierum interpolationis. Quare quemadmodum in statu non est euacuandum, ita nec in Paroxysmo.

Tertia regula est, ut phlebotomia non fiat in principio morbi, quando crisis est remota, quia teste Isaac in opere de urinis, Sanguis est fundamentum caloris naturalis, ipsum scilicet sustinens, licet cor sit fundamentum generans, & spiritus fundamentum deportans, sed sanguis est fundamentum caloris naturalis, quia ex eo ut materia, calor naturalis generatur, unde per sanguinis euacuationem euacuatur calor, qui materia

teriam

DE CONSERVANDA

teriam morbi debbat digerere, & uirtus debilitatur, ut timendum sit, ne propter longitudinem morbi & debilitatem uirtutis, natura succumbat.

Quinta regula est, ne in corpore habente feces in intestinis, fiat phlebotomia. Tria enim sunt attrahentia, calidū scilicet, uacuum, & tota species. Quia ergo per phlebotomiam uenæ euacuata à membris sibi propinquis attrahunt, quemadmodum & Mesaraicæ à stomacho, accidit ut uenter magis constipetur, materiaq; in uenis contenta plus inficiatur. Mesaraicæ enim attrahunt humiditatem fecum, & feces plus desiccantur. Vnde uenter primo leniendus est per suppositoria aut clysterem, nisi per se laxetur.

Quinta regula est, ne fiat phlebotomia multā, Hinc enim circa senium generantur multi morbi mali, uelut epilepsia, apoplexia, & paralysis, quia ob sanguinis & caloris remotionem generantur multæ superfluitates Phlegmaticæ, quæ sunt causæ harum ægritudinum.

Sexta regula est, ne fiat phlebotomia in muliere cui menstrua fluunt, aut utero gerente. In utero gerente quidem, ne per hoc calor digerens cibum, diminuat, & alimentum fœtus auferatur, & maximè si fœtus sit maior, quia plurimo indiget alimento, teste Hippocra. lib 5. Aporis. 31. In muliere uerò cui menstrua fluunt, scilicet naturaliter & secundum reuolutionem mensis, non est secanda uena, nisi in fluxu
iunio

nullo menstruoꝝ ad diuertendam materiam. Sed quando eueniunt naturaliter, & secundum debitum cursum nature, ab hac prorsus est abstinendum, cum materia euacuetur sufficienter à natura, neq; natura debeat diverti ab operatione.

Septima regula est, ne post cholericam passionem fiat phlebotomia. Cum enim phlebotomia commoueat humores, timendum ne per hoc humor cholericus ad stomachum fluens, ipsum inflammet: neq; fiat post uomitum, ne eodẽ modo ad stomachum fluant, neq; post fluxum uentris, neq; post uiglias magnas, neq; post motum fortem: & in summa neq; post ullũ ualde exalfaciens, siue multum dissoluens: quia phlebotomia humores magis commoueret, uirtutemq; magis debilitaret.

Postremo uidendum est, quibus hominibus phlebotomia conueniat, Ad quod quidem regule nonnullæ ponendæ sunt. Quarum prima est, phlebotomiam conuenire hominibus delicatis, ociosis, & quietam uitam agentibus, ualde corpulentis, & alimento multum sanguinem generante utentibus. Secunda est, phlebotomiam conuenire illis qui abundant sanguine, quod cognoscitur per urinae crassitiem. Abundantia enim sanguinis reddit eam crassam, sed cholera tenuem. Tertia est, phlebotomiam conuenire illis in quibus abundat melancholia. Vnde cum multa melancholia naturalis discurret cum sanguine per totum corpus, eò quod sanguis in epate
ab ea

DE CONSERVANDA

ab ea non emundetur, confert phlebotomia, deinde ue-
 rò & purgatio. Duplex uerò melancholia est, natu-
 ralis scilicet, & innaturalis. Naturalis, est fex
 sanguinis, quæ cum abundat, ipsa cum sanguine per
 phlebotomiam euacuatur, unde ad eius euacuationē,
 secunda uena est. Ab eodem colore enim, scilicet tem-
 perato, fiunt sanguis & melancholia. Postea seque-
 tur euacuatio pharmaci. Quarta est, quòd illis in
 quibus timetur humorum ebullitio, conturbatio, &
 calfactio, conueniat phlebotomia, ijsq; statim ubi sen-
 serint se calefieri, secunda uena est, cum sit timor e-
 bullitionis, conturbationis & calefactionis, propter
 humorum abundantiam. Aliquando tamen decipiun-
 tur nonnulli per hanc regulam. Quamprimum enim
 sentiunt calfactionem, & timent de humorum ebulli-
 tione, statim phlebotomia uruntur. Et cum hoc acci-
 derit ex colera calfactione & incensione, per phle-
 botomiam non cessat calfactione ebullitio, imò
 augetur, quia phlebotomia humores commouet, &
 per corpus discurrere facit. Quare non conuenit
 phlebotomia, nisi ex hoc sit abundantia humorum,
 quod cognoscitur per sudoris multitudinem, &
 præcipuè tempore matutino. Aliqui enim nō sudant,
 nisi quando euacuatione indigent. Quinta est, ut il-
 lis fiat phlebotomia, qui habent uirtutem fortem, &
 sunt sanguineæ complexionis, non frigide & sicca.
 Vnde Rhazes 7. ad Mansorem cap. 21. Corpora, in-
 quit, quæ phlebotomiam magis tollerare possunt,

sunt

sunt quæ uenas manifestas & amplas habent, Pilo-
saq; sunt et bruna, atq; ex colore rubeo et fusco mix-
tis, sunt colorata, & iuuenes & adulescentes, & se-
nes non decrepiti. Pueri uerò & infirmi minuendi
non sunt, nisi magna incumbente necessitate. Lega-
tur & Auicenna 4. 1. cap. 20.

QVAE MEMBRA QVOQVE
tempore uenæ sectione euacuanda.

CAPVT CIIII.

VER æstas dextras, autumnus hy-
emsq; sinistras.

Quatuor hæc membra, epar, pes, cepha,
cor, uacuanda,

Æstas epar habet, uer cor, sicq; ordo se-
quetur.

Heic recensentur quædam spectantia ad membra
per phlebotomiam euacuanda. Et primo quidem di-
citur: Vere et æstate secandas esse uenas dextræ par-
tis: dextræ scilicet manus, brachij, uel pedis. Sed hye-
me & autumnno sinistras, sinistræ scilicet manus, bra-
chij, uel pedis. Vere enim crescit & augetur sanguis,
æstate cholera, unde in uere & æstate euacuandæ
sunt uenæ, in quibus sanguis & cholera magis abun-
dant, suntq; illæ uenæ dextræ, quia in dextra corporis
parte collocatum est membrum sanguinem generans,
epar nimirum et cystis fellis, receptaculum cholerae.
In autumnno uerò generatur melancholia, quæ etiam

DE CONSERVANDA

edaceruatur, nec resoluitur per hyemem, unde in autumno & hyeme secandæ sunt illæ uenæ, in quibus melancholia magis dominatur, suntq; uenæ sinistræ. In sinistra enim parte corporis situs est splen, receptaculum melancholiæ.

Secundo dicitur, hæc quatuor membra, cepha, id est, caput, cor, pedem, & epar, iuxta quatuor partes anni esse euacuanda. Cor quidem in uere, epar in æstate, caput in hyeme, & pedes in autumno.

DE COMMODIS EX SECTIONE ne Saluatellæ. CAPVT CV.

EX Saluatella tibi plurima dona minuta,

Splenem, epar, pectus, uocem, præcordia purgat.

Innaturalem tollit de corde dolorem.

Splen. Referuntur hoc loco sex commoda ex sectione uenæ, quam saluatellam uocant. Estq; uena in dorso manus inter digitum auricularem & annularem.

Primum est, purgare splenem. Secundum emundare epar. Tertiū mundificare pectus. Quartum, auferre nocumenta uocis. Quintum, præseruare præcordia, id est, orificium stomachi à nocumento. Sextum tollere dolorem innaturalem cordis. Ratio omnium est, quòd hæc uena ab omnibus illis locis sanguinem euacuet, ut paulo post declarabitur.

Pro maiori declaratione sciendum est in phlebotomia, aliquando aperiri uenas, aliquando uerò arterias. Sed in sectione arteriæ est periculum ex nimio fluxu sanguinis, qui contingit duplici de causa. Prima est, caliditas uehemens sanguinis arterialis. Calidum enim faciliè mouetur, arteriamq; dilatat, & aperit, quare iuuat multum euacuatio sanguinis in phlebotomia arteriæ. Secunda est, arteriæ mobilitas, unde tardius in ea uulnus curatur, Vulnera enim non curantur nisi quiescant.

Prodest tamen hæc phlebotomia tripliciter. Primo, quando est in corpore tenuioris sanguinis abundantia. Secundo, quando uaporosi. Tertio, quando calidissimi. Sanguinis enim tenuis & subtilis, unde calor naturalis & spiritus fiunt, sedes in arteria est. Sed sanguinis craffi, quo membra nutriuntur, in uenis, & uaporosi similiter in arteria, Sanguinis uerò sanguinei, in uenis receptaculum est. Sanguis etiam calidissimus, qui à corde membro calidissimo perficitur ac digeritur, in arteria continetur. Alius uerò in uenis.

Secundo sciendum est, uenarum sectionem multis adhiberi membris. Aliquando brachio, siue manui magnæ, nonnunquam paruæ, quandoq; pedi, aliquando naso, nonnunquam fronti, quandoque labijs, aliquando linguæ siue palato, nonnunquam oculorum angulis frontem uersus. In manu maiori, quæ est ab axillis usq; ad cubitos, sunt quinque

DE CONSERVANDA

aperiendæ uenæ, secundum Rhazen 7. ad Mansorem cap. 21. Et Auicem. loco citato. Vna uocatur Cephalica, quæ est uena capitis. Altera, Basilica, quæ est uena epatis, & dicitur Epatica. Tertia Mediana, siue cordiaca, siue nigra, secundum Auicem. siue matrix, secundum Rhazen. Quarta, axillaris. Quinta, finis brachij. In manu minori est sceiles siue saluattella, & ita in brachio, tam secundum maiorem manum quàm minorem aperiendæ sunt uenæ sex.

Cephalica Cephalica, quam & humeralem uocant, à partibus euacuat quæ supra collum sunt, quare confert passionibus capitis, ut hemicrania, mania, & similibus calidis passionibus, siue ex materia calida. Incipit autem siue oritur ab humero, & tendit uersus sinistram brachij partem.

Basilica. Basilica euacuat immediatè à partibus sub collo collocatis, ut à pectore & epate. Confert ergo passionibus pectoris et epatis & similibus, ut in pleuritide. Incipit autem hæc ab axillari, et tendit ad partem domesticam brachij, id est, curuaturam.

Mediana. Mediana, est media, situ & compositione, inter duas prædictas, quia ex eis componitur. Est autem ramus utriusq;. Est etiam in euacuatione, quia undiq; euacuat, ab inferioribus partibus sub collo, à collo et supra collum. Vnde exquisitissima omnium humorum euacuatio fit per huius uenæ sectionem, et uniuersalis toti corpori. Vniuersalis quidem, non ut quibusdam placet, quòd à corde oriatur. Sed quòd fit ramus cephalicæ

phalica et basilica. Vnde sanguinē è cephalica detra
Eturus, eaq; nō appareat, debet cōfugere magis ad me
dianam quàm Basilica: & similiter quando basilica
non apparet, magis ad medianam quàm cephalicam.

Saluatella

Sceiles siue Saluatella uena est inter auricularem
& annularem, magis tamen ad annularem digitum
inclinans, & oritur à basilica. Hæc aperitur in dex
tra manu in oppilatione epatis, & in sinistra manu,
in oppilatione splenis. Quare hoc fiat, nescitur ratio
ne, inquit Auicenna, sed experientia, Hanc enim inue
nit Gale. per insomnium admonitus, ut ipse refert. Ha
bebat enim in cura laborantem quendam oppilatio
ne epatis & splenis, & somniabat se incidere patien
ti hanc uenam, itaq; fecit, & curatus est. Ex hac fit
phlebotomia, ponendo manum in aquam calidam,
quia subtilis est, ut incrassetur & dilatetur, neq; uul
nus citius quàm par est claudatur, & ut sanguis cras
sus extenuetur.

Axillaris.

Axillaris sita est sub basilica, & apparet in ligatu
ra brachij, de hac idem est iudicium cum basilica. Fus
nis brachij, sita est supra cephalicam, siue altius bra
chij uersus partem sinistram. Et est idem iudicium
de hac & cephalica. Licet autem secundum Gale.
& Auicennam in uenæ sectione, fiat euacuatio uni
uersalis à toto corpore, non tamen ab omnibus uenis
æqualiter, ut uisum est. Licet etiam uenæ à toto cor
pore euacuent, non tamen in eis timor est æqualis,
imò cephalica secundum Rhazen est securior. Et ba-

DE CONSERVANDA

filica magis timenda & cardiaca, licet minus quàm basilica. Cephalica est securior, quia iuxta eam non est neque neruus neque ateria, neque super eam. Sed sub cardiaca est neruus, & altius supra eam est neruus subtilis, quare timendum, ne neruus inci datur. Basilica est periculosa ualde, quia sub ea arteria est, et iuxta eam neruus & musculus, quare admodum timenda. Scelles Saluatella, non est periculosa, sed tamen subtilis, unde conuenit in sectione eius, manum in aquam calidam inferi.

*Pedis ue-
na.
Saphena*

In pede sunt tres uene, Ischiatica scilicet, Saphena, & uena poplitis. Quæ aperiuntur, quando uolumus sanguinem auertere ad partes inferiores, ut in prouocatione menstruorum. Et illa quæ est in poplite, iuxta Auicennæ sententiam, magis ualet quàm Saphena, aut Ischiatica, quia propinquior est matrici, unde etiam melius potest ab ea trahere. Saphena uerò, à uirga, testiculis, & à matrice, sanguinem attrahit. Sed Ischiatica ab anchis, renibus & membris collocatis uersus partem syluestrem, melius trahit. Saphena uerò, à matrice, & membris positus uersus partem domesticam, licet sint rami unius uenæ.

*Frontis
uena.*

In medio frontis, est uena una aperienda in antiquatis passionibus faciei, ut in morphea, impetigine, scabie, & passionibus oculorum, prius tamen fieri debet minutio de cephalica.

Et si

Et similiter uena est in naso, in quarum utriusq; **Nasi.**
 sectione, collum sudariolo, adeò stringendum est, ut ca-
 pitis partes intumescant, ita enim melius conspici-
 untur.

In labijs item uenæ sunt, quæ aperiuntur propter **Labiorum**
 apostemata oris, aut ginguarum: Cephalica tamen
 prius minuta. In palato sunt uenæ quatuor, quæ si a-
 periantur, conferunt fluxui rheumatis ad dentes, inq;
 cis dolorem facientis. Et illæ uenæ sunt manifestæ, &
 incidenda materia digesta.

Item quedam sunt uenæ in angulis oculorum, uer **Oculos**
 sus frontem, & aperiuntur in passionibus oculorum, rum.
 cephalica prius minuta.

Item quedam sunt uenæ sub lingua, quæ aperiuntur **Lingue.**
 tur in angina, cephalica prius minuta.

Sunt item uenæ in temporibus retro aures, quæ **Tempo-**
 inciduntur propter hemicraniam, & capitis dolo- rum.
 rem magnum, & aegritudinem diuturnam, & has
 Hippocrates in lib. de aëre, aquis, & locis, & Auic.
 Iuueniles uocant, quarum incisio reddit hominem
 sterilem.

In collo etiam sunt uenæ, uocate guidegi, quæ mi- **Colli.**
 nuendæ sunt in principio lepræ, & fortis anginae,
 & coangustatione anhelitus, & asthmate acuto, et
 raucedine uocis, in apostemate pulmonis in dispnoea,
 in aegritudinibus splenis, & laterum, teste Auic.

IOACH. CAMERARIUS DE
 Dieta post Pphlebotomiam.

DE CONSERVANDA

*Prima coena die sit missio sanguine parca,
Lux abeat latis aucta secunda modis.
Tertia sed placida debetur tota quieti,
Quarta & quinta sibi mollius esse uolunt.
Balnea sexta petit, mox septima colligit aurās,
Fertq; uagos circum rura nemusq; pedes.
Octaua amplexus dilectae coniugis, & quae
Ante fuit nitam restituisse solet.*

DE CAPITIS DOLORIBVS.

CAPVT CVI.

SI capitis dolor est ex potu, limphabi
batur,

Ex potu nimio nam febris acuta crea-
tur.

Si uertex capitis, uel frons aestu tribulen-
tur,

Tempora, fronsq; simul, moderatè saepe
fricentur,

Morella cocta nec non calidaq; lauen-
tur.

Hoc loco duo notantur. Primum est, si cui do-
lor capitis accidat ex potu nimio uini, uel alterius cu-
iusq; potus inebriantis, ut is in potu utatur aqua frigi-
da. Haec enim frigiditate sua et crassitie impedit, ne su-
mi ex eiusmodi potu eleuati, cerebrum petant, ipsum
q; laedant. Secundū est, si uertex capitis siue frons
nimio calore aestuet, ut hic tempora & frons modera-
tè fri-

tè fricentur, et lauentur deinde aqua decoctionis morellæ calida. Morella enim, quæ communiter à medicis Solatrum dicitur, refrigerat, quia frigida est in secundo gradu.

Contra fluxum uentris.

*Qui fluxum pateris, si non caueas, morieris,
Concubitum, nimium potum, cum frigore motum.*

**DE QVATVOR TEMPO-
ribus anni. CAPVT CVII.**

TEmporis æstiu ieiunia corpora sic
cant,

Quolibet in mense & confert uomitus,
quoq; purgat

Humores nocuos stomacho, anfractus
lauat omneis,

Ver, autumnus, hyems, æstas, dominan-
tur in anno.

Tempore uernali calidusq; aër humi-
dusq;

Et nullum tempus melius fit phleboto-
miæ.

Vsus tunc homini Veneris confert mo-
deratus,

Corporis & motus, uentrisque solutio,
sudor.

Balnea, purgentur tunc corpora per me-
dicinas,

DE CONSERVANDA

Aestas more calet sicca, & noscatur in
illa

Tunc quoque præcipuè choleram rubeam
dominari,

Humida, frigida fercula dentur, sit Ve-
nus extrà.

Balnea non profunt, sint raræ phleboto-
miæ,

Vtilis est requies, sit cum moderamine
potus.

*Plurima comprehenduntur hoc capite. Pri-
mum est ieiunia per æstatem corpora ualidissimè
exiccare. Aestas enim cùm natura calida et sicca sit,
humores corporis resoluit, quæ etiam resoluuntur
per id tempus multiplicatis sudoribus, & ita super-
ueniente ieiunio, corpora magis arefiunt, quia ab-
sente humido cibi, calor corporis in humiditates
propriâ agit, ipsas exiccando. Rectè igitur Hip-
pocrates lib. 7. Aphoris. 61. Corporibus, inquit, caro-
nes habentibus humiditas, famem adhibere conuenit.*

Vomitus. Fames enim corpora siccat. Secundum est, uomi-
tum conferre in quolibet mense, per hunc enim euacu-
antur humores noxi, qui toti ambitui stomachi inhæ-
rent. Idem testatur Auic. 4. 1. capitis 13. Hipp. inquit,
præcipit uomitum fieri in unoquoq; mense duobus die-
bus continuis, ut secundo die expellatur, quod primo
expelli non potuit. Per hoc enim secundum Hip-
pocra-

pocratem, sanitas conseruatur. Vomitus enim mundi-
 ficat stomachum, euacuando phlegma & cholera[m],
 Stomachus namque non habet, quod ipsum munda-
 det, sicut intestina cholera[m] rubram, quæ descen-
 dens mundat ea. Auicenna recenset & longe plu-
 ra commoda uomitus, si quidem rectè fiat, quorum
 primum est, conferre grauitati capitis, & hoc ue-
 rum est, quando illa accidit ex materia humoralis
 uaporosa, à stomacho & membris inferioribus ad
 caput adscendente. Si enim grauitas capitis fuerit
 à proprio ipsius cerebri nocumento, tum uomitus
 magis noceret. Secundum est, clarificare uisum,
 & hoc si uisus obscuratio accidat, ob materiam ua-
 porosam à stomacho ad ipsos oculos adscendentem,
 aliàs minimè. Tertium est auferre fastidium, id **Nausea**
 est, nausèam, remouendo scilicet & euacuando à sto-
 macho humorem, qui erat causa fastidij. Quartum
 est, conferre ei, ad cuius stomachum cholera descen- **Cholera**
 dit, cibū corrumpens. Quintum est, remouere abo-
 minationem, quæ ex unctuositate accidebat. Sextū
 est, remouere causam desiderij, & illud, quod facit
 desiderare acutum, ponticum, aut acetosum: quia uo-
 mitus omnium istarum dispositionum causam remo-
 uet, remota autem causa remouetur & effectus.
 Septimum est, conferre laxitati, quæ præce **Laxitas**
 dit hydropem. Euacuat enim materiam, & munda-
 dat stomachum. Octauum est, conferre ulceribus **Ulcer**
 renum & uesicæ, diuertendo materias currentes ad
 illa

DE CONSERVANDA

- Lepra.** illa loca ad partem oppositam. Nonum est, & lepra conferre, maximè si fiat cum uomitu uo forti, uelut helleboro, cuiusmodi namq; uomitus euacuat materias quæ sunt in locis remotis, & difficilis eradicationis, ex quibus fit lepra. Corrigit etiam digestionem primam, unde & aliæ digestiones melius procedunt. Lepra enim peccat corruptione digestiue. Decimum est, malitiæ coloris in cute, ex aliquo humore conferre, ipsum à cute diuertit. Undecimum est, conferre Epilepsiæ stomachicæ, euacuando scilicet humorem contentum in stomacho, ex cuius effumatione Epilepsia causatur. Duodecimum est, conferre ictero, & maximè illi qui ex oppilatione prouenit. Nam ob motum fortem in uomitu, materia oppilans à loco ubi oppilationem faciebat, remouetur. Euacuatur item per uomitum materia phlegmatica, quæ ferè causa esse solet istius oppilationis. Decimum tertium est, conferre asthmati, euacuanda materiam antecedentem è stomacho, quæ materiam asthmatis fouebat, calfaciendo etiam membra spiritalia, & pulmonem, ex quorum calfactione consumuntur superfluitates, unde asthma oriebatur. Decimū quartum est, tremori conferre & paralyssi, euacuat enim harum passionum materiam. Decimum quintum est, conferre habentibus ulcera nigra, magna in extremis partibus, diuertit enim humores à partibus illis.

Et licet uomitus rectè adhibitus, hæc commoda præstet,

praestet, tamen si modum excefferit, multorum incommodorum causa est. Stomachum siquidem debilitat, & resoluit, aptumq; reddit, ut materiae ad eum perueniant, obest pectori, uisui, dentibus, & antiquis doloribus capitis, teste Auicenna 4. 1. capite decimoquarto.

Tertium ex ijs, quae in textu notantur est, quatuor esse anni tempora, Ver scilicet, Aestatem, Autumnum, & Hyemem, Et inter haec Ver calidum est, & humidum, respectu habito ad alia tempora, tamen si per se sit omnis excessus plane in medio, teste Gale. lib. 1. de temperamentis. Accommodatissimum autem est hoc tempus mittendo sanguini, siquidem aequale est, atq; adeo neq; nimis calidum, neq; supra modum frigidum. Vnde Hippo. lib. 7. Aphor. 55. Quibus à uenis sanguinem mittere confert, his Vere uenam oportet secare. Fit item hoc tempore augmentatio sanguinis in corporibus. Conuenit etiam uere moderata uenus, motus temperatus, & uentris solutio, & sudor temperatus, balnea quoq; temperata, ad diminuendam repletionem, unde hoc tempus apertum est purgationi corporis per medicamenta.

Quartum est, aestatem calfacere & exiccare, ac promde in ipsa crescere cholera rubram, quae calida & sicca est. Quare in aestate fercula conuenit esse frigida & humida, ad remouendam distemperantiam caliditatis & siccitatis ex temperamento aestatis. Abstinentum est à coitu, & crebris balneis, nam eb
haec

DE ELECTIONE

et hæc exiccant. Sit rara phlebotomia, ni si necessitas
cogat. Sit quies, & paucus motus. Quies enim humes-
cat, motus uerò exiccant. Utendum potu moderato, et
in primis frigido, quia ex superflua sumptione potus
frigidi, propter pororum apertionem, sequitur ali-
quando subita corporis infrigidatio, uel paralysis si-
ue laxitas membrorum, uel mors subita.

FINIS.

DE ELECTIONE MELIORVM SIMPLICIUM AC

Specierum Medicinalium, Rhyt-
mi M. Ottonis Cremonensis.

Aloë.

Est aloës lignum melius, sit hoc tibi signum,
Quod nigredo parum dat fragile, subamarum,
Sit graue, nodosum, subdurum, sit preciosum.

Aloë epaticum.

Est aloë carum simplex, res una bonarum,
Subrufum, clarum, frangibile, parum amarum.

Agaricus.

Res frangi præsto, preciosus Agaricus esto,
Candidus & splendens, libramine leueq; pendens.

Alumen.

Si petis lumen, albedine lucet alumen,
Et sit pars oris salsi conpuncta saporis,

Mordicat, ac sputum præterea reddit acutum,
Laus huic detur, præstantius illa medetur.

Afa foetida.

Quomage foetorem facit Assa, tu dic meliorem.

Armoniacum.

Est precium pendens armoniacum bene candens,
Quo magis est purum, precij plus est ualiturum.

Antimonium.

Multi splendoris antimonium est melioris,
Et signum stagni si splendet imagine magni,
Et manibus teritur, sic illud fragile fertur.

Ambra.

Laudes ambra merens, leuis est & dentibus hærens,
Diues odore, foris gypsi sunt signa coloris.

Amidum.

Laus est albentis amidi foecunda recentis,
Ex antiquato reliquum prodire putato.

Anacardus.

Fama maiores anacardi sunt meliores.

Ammi. Ameos.

Vt sibi laus detur ameos, aurumq; meretur,
Si tibi gustatum mordet pungitq; palatum.

Anisum.

Copia dulcoris mos est anisi melioris.

Asphaltum.

Grandi foetore, leuitate, nigro colore,
Hæc per signa potes asphalti discere dotes.

Alcanna.

DE ELECTIONE

Alcanna.

Quisquis ea gaudes, Alcannæ collige laudes,
Quam color obfuscatur subrufus, laude coruscatur,
Laus augmentatur, leuitas si consociatur.

Anethum.

Non tibi sit spretum, si linguam pungit anethum.

Acetum.

In terra fusum si spumat, cedat ad usum,
Gestans impletum annulum bonitatis acetum.

Bolus.

De bonitate boli spem tu tibi ponere noli,
Qui frangi nescit, qui partim uixq; rubescit,
Quo non uiscatur dens, si cum dente teratur.

Balsamum.

Laudari digna sic sint tibi balsami signa,
Cui fructus citri, color est lux splendida uitri,
Cui mos, ut linges, capitis turbare maringes.
Quod lingua tactum penetrat feruore palatum,
Quod si ponatur in aqua non submergatur,
Vasis in extrema, media uel parte suprema,
Si dimittatur, illic immota moratur.
Quod multum clarum citrinum sit tibi charum.

Borax.

Si tibi uoracem mens est nouisse boracem,
Elige candentem, duram, sine sorde nitentem.

Camphora.

Camphora candore nimis emula, suavis odore,
Lucida fulgenti candens, sit hæc tibi menti.

Cardamomum.

Sic Cardamomi precium tibi collige pomi,
 In morsu dentis si linguam pungere sentis,
 Non sine dulcore, rufo rutilante colore.

Cassia lignea.

Tolle, uenalis si Cassia lignea talis,
 Rufa, iuuans gustum, dat que uis fractio frustum;

Coloquintida, Colocynthis.

Seminibus pulpa, Coloquintida sit sine culpa,
 Non residens mota per plurima, candida tota.

Cubebe.

His laudem præbe, quæ spirant lenæ Cubebe,
 De precio tutus sis cum sapor adsit acutus.

Castoreum.

Gustibus exosum graue Castoreum preciosum,
 Nigrum, neruosum, simulatq; recens, glutinosum;

Costus.

Costum gustate, si sit cum ponticitate,
 Et si lingua parum gustu dignoscit amarum,
 Si confringatur, nec fiat puluis, ematur.

Capparis.

Sit tibi Capparus solidus, rubeus, subamarus.

Corallus.

Forma corallorum sic sit tibi nota bonorum,
 Si solidi, plani, spe non laudantur inani.
 Si grossi, clari, sint digni laude notari.

Calamus.

Parte candescit Calamus, sic laus sua crescit,

DE ELECTIONE

Si iuuat olfactus, nec abundat puluere, fractus.

Diagridion.

Sputo clarescens Scammonea fitq; nigrescens,
In gustu grata, frangi leuis albificata.

Tragantum.

Commendat tantum uirax splendor esse Traganta-
tum.

Quo minus obscurum laude magis est habiturum.
Album, frigoris fomes, ruffiq; coloris.

Garyophili.

Garyophila laudantur, & per hæc signa probantur.
Quæ si pertundat unguis, liquor intus abundat.
Si tumor asit ei coniunctus grossitie.
Quod cum mordetur, bene mordicat, æra meretur.

Galanga.

Huius laudes pange, quæ sit subruffa, Galangæ.
Si sit acuta, grauis, odoratus, minimè suauis.

Gummi Arabicum.

Gummi si splendet, quia laus ex hoc sibi pendet,
Quod mittunt Arabes, non culpat insita labes.

Galbanum.

Hæc tibi sit cura, quia splendent Galbana pura.

Hermodactylus.

Laus datur iure tibi Hermodactyle dure,
Integer absq; poris tibi sit, albiq; coloris.

Liquiritia, Glycirrhysa.

Sit tibi probata Liquiritia puluerisata,
Et si tundatur, sit rufa, croco simulatur.

Lauda-

Laudanum.

Ex precij merito laudanum laudabile scito

Molle laudari, leue nigrum, neq; grauari.

Myrabolani.

Quod grauitate manum premit, eligo Myrabolanū.

Intus splendorem gummosa luce nitorem.

Qui magis est clarus in acumine sit subamarus.

Macis, Macer.

Est preciosus acer, si mordet acumine macer.

Vtq; scias dignum, rubedo sit tibi signum.

Mastix.

Mastix labe caret, si candens lumine claret.

Myrrha.

Myrrham laudate, si grossa caret grauitate,

Quod potius præstat, iubar in rubedine gestat.

Manna.

Sunt uilia grana, nisi dulcis, candida, Manna.

Mumia.

Nigra uendetur, si Mumia clara probetur.

Sal nitri.

Nitri summa salis laus est albedo niualis.

Oppoponax.

Oppoponax clarum, subrusum sit tibi charum.

Pionia.

Pulueris ignara, nigra, dura, pionia cara.

Reubarbara.

Libram ostendat, si quis Reubarbara uendat.

Rufa, sapore parum sub acuto si quid amarum.

Sarcocolla.

*Albam, spumofam, sarcocollam preciosam
Collige maiorem precio multo meliorem.
Mixtus candori modicus uiror in meliori.*

Spodium.

Es podio nota laus est grauitate remota.

Squinantum.

Candor squinanti signum est insigne probanti.

Tamariscus.

*Mollis, nigrescens bonus est Tamariscus arefcens.
Is qui clarescit candens contagia nescit.*

Panis, & cætera cibaria.

*Panis habens oculos, non monstrans cascus ullos,
Et pulli stulti, piscesq; senes & adulti,
Et saliens uinum, lentum piper atq; cuminum,
Talis pastura non est sanis nocitura.*

Finis.

**S. AVGVSTINI PRIMÀ DE VI-
tanda ebrietate, Concio, Carmine
reddita,**

**Per Leonardum Ketnerum, He-
resbrugiensẽm.**

AD LECTOREM,

Christo. Aulæus, Poëta laureatus.

*Composuit dextris præsentia carmina Musis,
Ketnerus, patriæ sydus, amorq; sue.*

Acidit

Aedidit in lucem Deygerus amicus amici,
Scripta per aeternos non moritura dies.

Ioan.
Val.

Erga age dic meritas tanto pro munere grates,
Conatusq; pari laude utriusq; proba.

HUMANISSIMO VIRO, DN. IOAN
ni Hillar, Granarij præfecto apud Fontes sa-
lutares, S. P. D.
Leonardus Ketnerus.

CVM nuper tres S. Augustini Conciones, cōtra
Ebrietatem, turpissimam, nimisq; communem
pestem, exercitij gratia à me redditos carmine, cer-
tò edere statuissem, uir humanissime, tu statim inter
multos alios occurrebas, cui priorem illam dedican-
dam fore arbitrabar. Cùm enim tanta tua uirtus sit,
(quod fide digni me docuerunt homines) ut & car-
minibus, nobiliq; poëseos studio ualde delecteris (ut
interim cætera uirtutum ornamenta reticeam, qui-
bus præditus es, ad colendos studiorum bonorum ali-
nos, ad colendam liber alium disciplinarum maiesta-
tem longè promptissimus) non uideo, cuius honori
rectius hoc Carmen dare & offerre possim. Argumē-
tum carminis non breue tantum est, sed cōmune et-
iam & uulgare: Ita, ut non paucos reperias, hoc no-
stro seculo, qui in eandem sententiã doctissima scri-
pta ediderunt, Theologi, Poëtae, Oratores, quorum si-
delem operã, cruditionem, famamq; dignis nos decet
celebrare laudibus. Quia uerò non minor ueterum

scriptorum autoritas, nō minor in huiusmodi, alijs q̄s.
tractandis materijs est maiestas: placuit S. Augusti
ni, quantum ad hanc causam attinet, doctissimum po
tius imitari stylum & iudicium, studiososq; hoc car
mine ad pios eius sermones excitare, et allicere, quāna
noui quidpiam, de eadem re, proferre in mediū. Acci
pe igitur, eximie uir, beneuolo, quicquid id est, ani
mo, pariq; fauore. Etiam si enim nihil inde aliud eue
nerit, tamen maximi lucri, et honoris loco aestimabo,
si ita T. H. innotescere potuero, quam certè obserua
re, & magnificare nullo desinam tempore. Vale sem
per multa cum prosperitate. Data apud Onoltz
bachium, Mense Febr. Anno 1551.

Ad Eundem, nomine Autoris,

Quintian. Stoa.

Ipse ego despiciam cunctos liuore loquentes,
Si (quāquam parçè) carmina nostra probes.

S. AVGVSTINI PRIMA DE VL
tanda ebrietate, Concio, Carmine reddita,

Dom.
17. Ser
mo, 1.

Per Leonardum Kernerum,
Heresbrugensem.

Quamuis Ebrietas, turpissima pestis, amici,
Ut uideo, uestras exulet ante fores.
Quam scio, ceu stygia uos spernere stagna paludis.
Qui bibitis nullo uina coacta modo:

Qui

Qui uirtute tamen non delectentur honesta,
Possem non paucos enumerare uiros.
Scilicet ipsa quibus non grata modestia morum est.
Qui plenos optant euacuare cados.
Sed uos, nulla quibus conuiuia sobria sordent,
Sermones hilari mente probate meos.
Ut bibulos hortemur enim carpendo Gigantes,
Nos monet oblatae conditionis onus.
Omnipotens damnat uitium Deus istud, ab usura.
Quod dudum assiduo creuit ubiq; tamen.
Ut sic à uitio longè uideatur abesse
Ebrietas, multis turpiter aucta locis.
Hinc qui non æqua siccant data pocula lance,
Vinosi irridet gens maledicta Dei.
Quæ solet ad Bacchi nolentes cogere pugnam,
Ut quàm conueniat, plura falerna bibant.
Ast alium qui tam inuitos sic cogit ad haustus,
Ut sumpti noceant pocula plura meri:
Hic grauius peccat, quàm si uiolenter amici
Infesto corpus tunderet ense sui.
Nanq; per immodicè sumpti data pocula uini,
Vicini mentem sauciat ille sui.
Et quia de limo fabricauit corpora terræ
Nostra Deus, terræ uim genitalis habent.
Ergo ut præcipites si mittat Iuppiter imbres,
Non datur, ut placidè rusticus arua colat.
Sic ratio est eadem, si nostri corporis exta
Per nimium languent debilitata merum.

Nam caro si turpi sic nostra grauat^{ur} Iacho,
 Non coelestis agri semina ferre potest.
 Ergo ut quisq; suis placidum agris postulat imbrem,
 Vt colat, & fructus auferat inde suos.
 Sic quoq; corporibus bene conuenientia nostris,
 Non inuita tamen pocula danda forent.
 Ne fierent turpes sic corpora nostra lacuna,
 Ex nimia allati sorbitione meri.
 E quibus, infesti ceu uermes, crimina surgant,
 Et mage peccatum, quam pietatis opus.
 Sunt etenim similes limosæ hac lege paludi,
 Sæpe student plenos qui euacuare cados.
 In qua serpentes auidi nascuntur, & angues,
 Ranae, & uiperei plurima monstra gregis,
 Quæ magis excrutiant, humanaq; pectora terrent,
 Vt quam fortè cibi sint retinenda loco,
 Nam quæcunq; illic arbusta, herbaq; uirescunt,
 Nil certè eximia commoditatis habent.
 Quæ collecta simul rapidum mittuntur in ignem,
 Atq; in limosa depopulantur humo.
 Sic quod ab ebrietate uenit, quod nascitur isto
 Ex uitio, uolucris non minus igne cadet.
 Tales Centauri sunt hic, & ubiq; bibaces,
 Qui nihil in sano corpore mentis habent,
 Qui dānant proprios, perdūtq; hoc crimine sensus,
 Quos etiam uiuos mœsta sepulchra tenent,
 Sæpe fit, obnumium ne quenquam noscat Iachum,
 Nesciat & uultus Bacchica turba suos.

Consuetu
 do potō-
 rum.

Sæpe

Sæpe fit, ut nullas possit tibi reddere uoces,
Nec prona causam percipere aure tuam.
Sæpius exhaurit totas hæc turba lagenas,
Euomit arreptum sæpius illa merum.
Ad pugnam Bacchi Carchesia magna parantur,
Quorum sunt certè uina uoranda modo.
Qui spumante potest alios submergere potu,
Præ reliquis, tali crimine uictor abit.
Interea exurgunt lites, & crimina crescunt,
In uarios casus præcipitatur homo.
Huc obscœna uenit scortatio, supra, Venusq;
Suscitat & cædes Bacchus ubiq; feras.
Pes negat officium, mens uino uicta tremiscit,
Extinctas uires corporis esse uides.
Hinc tepido recubant odiosa cadauera lecto,
Si sunt à porcis iussa cubare suis.
Hinc oculi multa ueniunt caligine crassi,
Hinc caput infirmum, hinc sollicitudo uenit.
Hinc facies, & forma perit, uultusq; colores,
Hinc grauibus morbis mens onerata uenit.
Hinc tremulis manibus languent, pedibusq; bibones,
Officium faciunt membraq; nulla suum.
Sed tamen occurrant, tantum defendere crimen
Qui cupiunt, atq; hoc qui scelus esse negant.
Hoc satis ingressum non est tractasse sodalem,
Quilibet hos bibulus fundit ab ore sonos:
Ebrius ex nostra si non discederet aula,
Qui conuiuia mihi fortè uocatus erat.

Sed tu, cui Christi nomenq; fidesq; probantur,
 Percipe, quæ fido pectore uerba loquor.
 Si quis, ut insensus tibi sit Deus, efficit, ille est
 Improbus, ille loco pestis habendus erit.
 Hac ut enim tibi lege suo insidiatur amico,
 Sic sibi uaccarum more bibendo nocet.
 Efficis, ut multo uincatur amicus Iacho?
 Ille tibi socius, sed Deus hostis erit.
 Quid sit agendum igitur prudens expende, sit utrum
 Aut melius socium, aut deseruisse Deum.
 Si pius æternæ tendis pietatis ad arcem,
 Pocula nolenti præbibe nulla, precor.
 Sed sine, quæ profunt, conuiuia fælerna propinet,
 Ne percat tantouictus uterq; malo,
 Hæc mihi, quæ cunctis sedem stabiliiuit in oris
 Impietas? bibulos iam regit illa uiros.
 Quanta superuacuo est homines quæ ad pocula cogat
 Turba mero, in tantum prodiga turba merum?
 Interea antea fores qui pabula querit egenus,
 Non habet, ut sicco leniat ore sitim.
 At qui sic alios crateres, meroq; laceffunt,
 Non hæc esse Deo danda fælerna uident.
 Mat. 25. Qui quibus abiectos donis & honore fouemus;
 Hisce ait æternum nos coluisse patrem.
 Quos ita desertos fortuna miserrima reddit,
 Escant ab alterius sit capienda manu:
 Illis attonita Centauri uoceloquuntur:
 Ite, egram minuat, qui regit astra, famem.

Quo produnt sermone sua impietatis inanem
Iusticiam, nullus ceu sit ubiq; Deus.

Ceu iubeant miseros aliorum currere ad arces,
Qui magnum credant numen habere Deū.

Aspicite insanum, charissima pignora fratres,
Quando pecus pastor ducit ad amnis aquas:

Quod cum fortè sitim placidos excussit ad haustus,
Affectat nullo pocula plura mero.

Conctat inhumanos igitur potando bibones,
Peiores rigidis sæpius esse feris.

Molle pecus tenero tunc quæ sapit unda palata
Sorbet, at ultrò illi uina nociua bibunt.

Vno sæpe die tot uina liquentia perdunt,
Regali unde queant uiuere more tribus.

Atq; utinam Bacchi tantum scuiret in orcas
Gens mala, non aliud surgeret inde malum.

Quos ferat ebrietas secum tristissima fructus,
Exemplum, constat, si Pharaonis adest.

Qui siue hoc uitio, seu turpi motus ab ira,
Seruum ad non meritam iusserat ire crucem.

Sic ludæa cohors statuas sibi fecit inertes,
Insipiens multo cum foret illa mero.

Quæ nimis obscæno ducebat amore choreas,
Vt statuis facerent scandala digna suis.

Impius à uino, meretriceq; uictus Herodes,
Ioannis iussit colla secare pij.

Insuper adportet quæ plura incommoda uinum,
Non ficta Salomon cum pietate docet.

Animalia
ad nause-
am non bi-
bunt.

Fructus
ebrietatis

Exod. 32,

Matt. 14,

Vina,

- Eccl. 19.** Vina, quòd à domino sapientum corda recedunt,
 Fœmineus sæpe est causaq; sexus, ait.
- Prou. 23.** Aspectus nunquam moueat tua pectora uini,
 Præbet enim ardenti gaudia multa gulæ.
- Pli. li. 14.** Sed tandem colubri stimulos imitatur acerbos,
 cap. 22. Ingeniumq; ferus postmodo ut anguis habet.
 Tunc alienarum turpem exoptabis amorem
 Vxorum : prauo corde malignus eris.
 Præterea damnat potandi crimina Paulus,
 Cùm sic diuina uoce disertus ait :
- Ephe. 5.** Quæ nocitura ferunt effrenis semina luxus,
 Admoneo, ne quis sumere uina uelit.
 Insuper à Baccho quæ damna bibentibus adsunt,
 Ex sacris aliquot commemorabo locis.
- Pro. 21. 31** Cui placet ebrietas communis, inersq; uoluptas,
 Ille sibi multas non cumulabit opes.
- Salomon.** Immodicos haustus, uinumq; à regibus aufer.
 Nam uires minuit corporis ebrietas.
 Ne iustè cessent inopum defendere causas,
 Iudicij fiant immemoresq; Dei.
- Eccle. 19.** Ebrietatis amans, operarius atq; Lyei,
 31. Potando nullas conciliabit opes.
 Qui bibit, ut placeat frugalis regula uitæ,
 Sobrius, & firmo corpore sanus erit.
 Hunc Deus elegit preciosi nectaris usum,
 Ut potu afflictum cor recrearet homo.
 Non dedit, ut plus quàm beluino more bibones,
 Nobilis haurirent munera grata meri.

Ingenij uires releuant, & corporis augent,
Si modicè, ut fas est, dulcia uina bibis.
Ast malè gustati blandissima pocula uini,
Tristitiam pariunt, pectoribusq; nocent.
Et magis insanum furioso pectore reddunt,
Qui uita & uerbis stultior antè fuit.
Propter inhumanos etiam hinc, post pocula, mores
Sæpe cruentato cæsus it ore domum.
Sed fortè incipient in nos seuire bibones,
Et malè, quòd feruens talia dico, ferent.
Qui tamen admittunt, quæ me monitore loquuntur,
Consilium optantes pondus habere meum:
Auxiliante Deo, nimij certamina Bacchi
Vitabunt, hostes criminis huius erunt.
Cætera quæ placidos gens Bacchica diligit haustus,
Non uelit hic dictis esse inimica meis.
Sed potius faciles dicenti præbeat aures,
Atq; probet causam, quo decet ore, meam.
Quilibet ad stygij properabit tartara regni,
Crudelis nigri prædaq; regis erit:
Si, dum uita manet, non crimine cedit ab isto,
Et uenia moritur reprobus absq; Dei.
Sanctus enim Pauli loquitur quæ spiritus orè,
Non possunt ueram fallere uerba fidem.
Ebria cælorum soboles non ibit ad arcem,
Ibit ad arduos ebria turba rogos.
Non igitur madidi cupiant me odisse sodales,
Sed sibi sint iræ proxima causa sue.

2. Cor. 6.

Tabificæ

Tabificas discant potandi extinguere fordes,
Dum uitæ admittunt tempora grata breuis.
Exurgant, malefacta tamen fateantur, & ista
Conueriant summum uoce rogante Deum:

Psal. 69. Eripe me impuri tepido de gurgite limi,
Ne noceat capiti labilis unda meo.
Nemo tempestas refluentibus obruat undis,
Néue mihi puteus tristitia damna ferat.

Ebrietas Ebrietas aliud nihil est, quàm flamma coruscans,
flamma in Qualis in inferno dicitur esse lacu.
fernalis, Que semel arreptos tanta ui cogit & urget,

(Si uitæ ratio non melioris adest)

Vt socij nunquam curent pia fœdera amoris,
Vt nunquam leges sobrietatis ament.

Sæpe dies auidos tamen haud facit una bibones,
(Quod decet haud dubia me monuisse fide)

Allati qui sæpe uorant data pocula uini,
Et quibus immodicè sumpta falerna placent.

Qui propter certum potant studiosius usum,
Quiq; student haustus ingeminare suos.

Hos Bacchi socios, hos dixeris esse bibones,
Qui nulla reuunt uina uorare uice.

Quos si grata mouet bibere omnia uina uoluptas,
Que iubet adpositum quodq; uorare merum:

Ad uinum tanto bibali incenduntur amore,
Vt nullum imponant sæpe bibendo modum.

Crimine qui pascit tamen ut sit liber ab isto,
A tanto cupiens degenerare malo.


151


*Si furor, aut rabies, aut cæca cupido bibendi,
Ebria fecerunt quòd tibi uina placent :
Quotidiana tuos moderatio temperet haustus,
Rursus ut adcedas sobrietatis iter.
Quiq; superuacuo sua pectora saucia uino,
Vix modicum docuit sumere posse merum:
Vt potius cupiat concessam perdere uitam,
Quàm fugere indicti dulcia bella meri:
Hic sciat, humanum melius perijse fuisse
Corpus, quàm mentem sic obiisse piam.
Hic ne potandi nimio superetur ab æstu,
Et uitare queat tam furiale malum :
Desinat ad solitum sæuire in pocula morem,
Donec potando discat habere modum.
Tam deforme studet qui sic auertere crimen,
Vinaq; qui nihili non moderata facit :
Extinguet tanta blandum ratione uenenum,
Et poterit duram sic remouere sitim.
Dum loquor hæc igitur, uerbis & adhortor amictis,
Excusatus ero, maximè Christe tibi.
Qui tamen huc promptas bibulus non arrigit aures,
Et negat à tanta cedere spurcitia :
Aut alios precio, precibusue ad pocula cogit,
Vt siccent auida dolia plena gula :
Cum socijs potor damnabitur ille, supremo
Si iudex Christus uenerit ipse die.*

TEAQU, AN. M D LI.

Virgilia desiccata ligitur in
unguentum istum ^{cataplasma} ~~na²lem~~ h²orem
R - ad om² virgiles desiccant
na²lem h²orem.

Resplendens rat illu coloru d²ntu
g^o non ungt. Curat / 3 resolutio
ut qu color ille resplendat illa frigidu
mact vram





Konserwacja dokonana w r.
przez Piotra Karowskiego
Inżyniera Biblioteki Miejskiej

11

B. 450--451
— 452

B.

B. 450--452